
AD P. ANNATVM IESVITARVM PROVINCIALEM SVPER QVINQVE PROPOSITIONIBV DOMINO EPISCOPO IPRENSI AFFICTIS RESPONSIO

IN DVAS PARTES DIVISA.



Ex Gallicâ oratione in Latinam Conuersa.

M. DC. LIV.



PRÆFATIO.

SVmmi Pontificis Constitutionem quantâ quàmque sincerâ veneratione Sancti Augustini discipuli prosequuti sunt, vel ex religioso quo se exinde continuere silentio cognosci potest. Ac licet eo silentio Aduersarij ad eorum perniciem abuterentur, sinistrosque inde arreptâ occasione de eorum Fide rumores in vulgus spargerent, omnia tamen sibi priùs esse patienda arbitrati sunt, quàm quicquam facere, quod daret ansam aliquam ad reprehendendum eos, quòd pacem Ecclesiæ primi omnium turbauissent. Verùm postquàm libro nuper edito, omnium animis inuidiæ & discordiæ faces addere voluit Pater Annatus Iesuitarum Prouincialis, sic existimatum est, non iam taceri posse, quin vnâ eâdemque operâ Ecclesiæ, Summi eius Pontificis, Sancti Augustini, complurium denique Episcoporum, vel suæ dignitatis gradu vel singulari eruditione in Ecclesiâ illustrium, honor & dignitas proderetur; Ecclesiæ quidem, quam priuatis suæ Societatis erroribus illi affictis iste dedecorat; Summi Pontificis, cuius existimationem offendit, dum hominibus persuadere conatur, per suam illum Constitutionem damnauisse tanquam blasphemias & hæreses quæ verissima sanctissima atque in primis Catholica sunt; Sancti Augustini, cui facit iniuriam, dum eius auctoritatis rationem contendit omissam esse à

Summmo Pontifice, qui non intendit in eum vt eius doctrinam vel sanciret vel damnaret; Episcoporum denique plurimorum, quos indignis quibusdam modis habet ac veluti proculcat, in hæreseos suspicionem adducere conatus, ipsosque ideò Protestantes aut ridiculos appellans, quòd Summi Pontificis consilium sequuti, negauerant abutendum esse suæ Sanctitatis Constitutione, ad contemptum cælestis doctrinæ Sancti gratiæ Doctoris, qui hactenus summos ab Ecclesiâ honores accepit, æternùmque ad Orbis vsque excidium accepturus est.

Hoc scripti quidquid est, in partes duas diuisum est: quarum primâ ostenditur, quinque propositiones Domini Cornet, non esse ex Iprensi Episcopo excerptas, imò in eius Episcopi libris omnino contrarias haberi. In alterâ verò, respondetur sigillatim omnibus per P. Annatum allegatis, quæ non de Vero sed de Facto est; probaturque præterea, Annatum, dum dat operam vt Corneti propositiones per Summum Pontificem damnatas in Iansenij libro inueniat, non potuisse tamen nisi longißimè diuersas à damnatis extrahere, quæ verißima certißimaque Augustini dogmata continent, quæ per Summum Pontificem fuisse damnata, non sine summâ Suæ Sanctitatis iniuriâ dici possunt.

Ac magna spes est, facilè intellecturos omnes hoc scriptum qui perlegerint, id ita esse factum, id est, damnatas propositiones non esse Iansenianas, nec posse quemquam doctorum & æquitatis amantium hominum, de eâ re dubitare, qui eam paulò accuratiùs exa-

minare non grauabitur; neque verò per Pontificiæ Constitutionis voces quicquam lædi Ianſenium, quando in Conſtitutione nulla Ianſenij mentio, niſi in narratione, vbi narratur quid Epiſcopi nonnulli Galliæ ſcripſerint, & in fine qui ex aduerſo narrationi reſpondet, ipſâ verò in propoſitionum condemnatione & Cenſurâ altum eſt de Ianſenio ſilentium.

Conſtat verò inter omnes, Summos Pontifices facti veritatem, quod ipſis proponitur, quodque adeò prout propoſitum eſt in Reſcriptorum & Conſtitutionum narratione referunt, non poſſe præſtare. Quod & ipſi ſæpenumero teſtati ſunt; quâ re adducti his ſæpe vocibus vtuntur, Si ita eſt, Si preces veritate nitantur, *ipſique agnoſcant Iuris Canonici Doctores, hanc ſemper intelligi clauſulam ſi non expreſſa ſit. Atque cùm quæſtio illa ſit de Facto, nulla Summo Pontifici famæ dimicatio ſubeunda, aut Epiſcopis, qui ad ipſum id ſcripſerunt, quod ab aduerſariis Ianſenij auditu acceperant, cæterùm inexploratum & inexaminatum reliquerant; quique à Suâ Sanctitate petierant, quid ſuper his propoſitionibus ipſa ſentiret, non verò vt librum Epiſcopi Iprenſis examinaret. Ipſa verò Sua Sanctitas ſatis indicat, ſe quærendum iuſſiſſe, quid ſuper his propoſitionibus credi oporteat, nullâ verò ratione pronuntiat, ſe quæſtionem inſtituiſſe, vtrùm hæ propoſitiones ex D. Ianſenij libro excerptæ eſſent, quod ſine dubio indictum in Conſtitutione non abiiſſet, ſi talis quæſtio & examen præceſſiſſet.*

Id adeò demonſtratur, Summi Pontificis famam hactenus in eo facto non agi, quòd in Breui vno, quod

post Constitutionem editam misit ad Capitulum Pictauiense, estque ibidem typis mandatum, Sua Sanctitas tantummodo dicit factam esse Constitutionem super quinque propositiones controuersas, *de Iprensi verò Episcopo ne verbum quidem vllum fecit. Ferunt verò alib in Breui, vbi de Iprensi Episcopo mentio fit, hæc tantùm de ipso haberi verba*, quâ Constitutione quinque propositiones occasione libri impressi, cui titulus Augustinus Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi, excitatas damnauimus.



AD P. ANNATVM RESPONSVM

QVO DEMONSTRATVR DAMNATAS Propoſitiones, Ianſenianas non eſſe.

PRIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſsibilia: deeſt quoque iis gratia quâ poſsibilia fiant.

HANC PROPOSITIONEM PRIMAM NON EXCERPTAM ESSE EX IANSENIO.

ETſi propoſitiones quinque omnino numerentur, hæc tamen omnium vna eſt, quæ ipſis Iprenſis Epiſcopi vocibus conſtare videatur, nihilo tamen magis Ianſeniana eſt quàm aliæ reliquæ. Ex his enim vocibus, quæ ab antecedentibus in eius libro & conſequentibus ſeparatæ & abſtractæ ſunt, alia omnino exurgit propoſitio & longiſſimè diuerſa ab eâ propoſitione, quam eædem eodem in libro voces componunt, vt intelligere licet vel ex illo loco vnde ſunt voces erutæ, qui locus Anacephalæoſin continet Auguſtiniani dogmatis, quod locis ampliùs quinquaginta numeratis Auguſtini Ianſenius comprobat.

Locus Iprensis Episcopi, unde verba propositionis excerpta.

Iansenius lib. 3. de grat. Chr. sal. c. 13.

„ Hæc igitur omnia plenissimè planissiméque de-
„ monstrant, nihil esse in Sancti Augustini doctrinâ
„ certius ac fundatius, quàm esse præcepta quædam,
„ quæ hominibus non tantùm infidelibus, excœcatis,
„ obduratis; sed fidelibus quoque & iustis, volenti-
„ bus, conantibus, secundùm præsentes quas habent
„ vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam, quâ
„ fiant possibilia: hoc enim S. Petri exemplo, aliisque
„ multis quotidie manifestum esse, qui tentantur vl-
„ tra quàm possint sustinere: & illam implendi talia
„ præcepta difficultatem inde proficisci, quòd vires
„ voluntatis infirmæ sunt, propter concupiscentiam
„ à volendo bono retrahentem, cuius renisu fit, vt
„ vires voluntatis distrahantur; atque ita homo non
„ plenè velit, non integrè velit, non totâ voluntate
„ velit: talem autem voluntatem non esse idoneam,
„ vt superet alteram vetustate roboratam, quia per
„ illam nondum potest homo tantùm velle quantùm
„ sufficit vt volendo faciat; poterit autem cùm ma-
„ gnam habuerit & robustam: hanc verò sibi tribue-
„ re, non esse potestatis humanæ, sed solius gratiæ
„ Dei, quam propterea assiduè ex fide inuocamus, *vt*
„ *si fortè tentari cœperimus à concupiscentiâ nostrâ, adiu-*
„ *torio eius non deseramur, vt in eo* POSSIMVS *vincere,*
„ *ne abstrahamur illecti.*

Aug. lib. 2. de peccat. mer. cap. 4.

Legi non potest examinative paulò diligentiùs hic locus, quin summæ vel, vt loquuntur, essentiales differentiæ propositionem inter Corneti & propositionem Iprensis Episcopi animaduertantur.

Prim-

Prima differentia essentialis inter propositionem D. Cornet, & propositionem Iprensis Episcopi.

Episcopus Iprensis non dicit, tale quid esse, quod facit propositio Corneti; sed id solùm ait, tale quid Augustinum docuisse. Hæc verò duo longissimè diuersa sunt. Nec enim quisquam est, quin fateatur duas propositiones differentes esse & magnis interuallis distinctissimas, atque alteram falsam esse posse quàmuis altera verissima sit, si quis exempli causâ de B. Mariæ Virginis conceptione dixerit, *Virgo Maria in originali peccato concepta est*, aut tantummodò dixerit, *constat iuxta doctrinam S. Thomæ Virginem Mariam in originali peccato fuisse conceptam.* Quantùmuis enim falsa possit esse harum propositionum prima, non tamen dubitari potest, quin posterior vera sit. Atque adeò nonnisi summam per iniuriam Iprensis Episcopi verba Cornetus accipere potuit *Aliqua Dei præcepta* &c. cùm ea quæ antecedunt detraxerit, *hæc igitur omnia plenissimè planissiméque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrinâ certius ac fundatius, quàm esse præcepta quædam, &c.* Nisi omnino nouam & alienam ab Iprensis Episcopi propositionem fabricatus. In Iprensis enim Episcopi propositione de facto tantùm agitur, vtrùm nempe Augustinus tale quid docuerit; in Corneti verò propositione de iure quæstio instituitur, vtrùm nempe tale quid verum sit.

Altera summa seu essentialis differentia.

Episcopus Iprensis aliquibus tantùm de iustis & quibusdam tentationibus verba facit, vt ex his patet quæ anacephaleosin præcedunt vocibus: *Hinc ergò fit, vt subinde doceat Augustinus,* QVARVMDAM *cupidi-*

tatum tentationes ALIQVORVM *hominum vires superare:* è contrario verò, in propositione Corneti cum vox, *Iustis*, infinita sit, nec vllius sermonis sequelâ limitetur, potest ea intelligi de Iustis omnibus; imò verò & congruentius est si sic sumatur, iuxta enim ipsam normam Philosophorum infinitæ propositiones, si nihil determinauerit, vniuersalibus sunt æquales. Illa verò Corneti generalis propositio, cùm de Iustis omnibus intelligatur, ipsum habet errorem Lutheri & Caluini, qui pro certo & explorato habent, mandata Dei *Iustis omnibus* esse impossibilia, neque ea vnquam ab vllo impleri; cùm S. Augustini propositio, quam Iprensis refert Episcopus, hoc tantùm certum & indubitatum Augustini dogma contineat, aliquando hominem iustum aliquem aliqua Dei mandata implendi potestatem non habere, vt sanctus Petrus pro Christo mori non potuit (quod ipsum Iprensis Episcopi S. Augustinum secuti exemplum est) prout ipse præmonuit Christus in Euangelio his verbis adhibitis: *Non potes me sequi modò.*

Essentialis differentia tertia.

Iprensis Episcopus planè & apertè declarat, per Iustos, qui volunt & conantur implere mandata Dei, eos se tantùm intellexisse, qui voluntate infirmâ volunt & imperfectâ, *& illam implendi talia præcepta difficultatem inde proficisci, quòd vires voluntatis infirmæ sunt*, &c. è contrario verò Corneti propositio, cùm interminata & infinita sit, de omni voluntatum genere potest intelligi; Itáque, interminatorum verborum infinitate Lutheranorum hæresim complectitur & Caluinianorum, qui adhuc docent, quantumlibet Dei mandata implendi voluntatem iusti habeant, non ea tamen ideò implere, *vtcunque Spiritu Dei adiuuentur*, in-

quit Caluinus; cùm propositio S. Augustini per Iprensem relata Episcopum, maximum hoc & quotidianâ hominum experientiâ comprobatum dogma complectatur, quod his verbis habet Augustinus, estque omnium quæ Iansenius illo in libro persequitur præcipuum fundamentum: *Qui vult facere Dei mandatum*, ET NON POTEST, *iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc paruam & inualidam*; POTERIT *autem cùm magnam habuerit & robustam.*

Quarta essentialis differentia.

Iprensis Episcopus de iis tantùm viribus loquitur, quæ nonnullos iustos certis in ipsorum vitæ articulis destituunt, qualis Petrus fuit, postquàm Christi mortis metu tentatus est, etsi ibidem agnoscat; alio tempore illum ipsum iustum satis virium habiturum, quibus hæc eadem Dei mandata perficiat: *Per voluntatem infirmam nondum potest homo tantùm velle, quantùm sufficit vt volendo faciat; poterit autem cùm magnam habuerit & robustam.* E contrario Corneti propositio, cùm generalis sit & interminata, de iis viribus intelligi potest, quas toto huius vitæ spatio Iusti nacti sunt, huius vitæ viribus cum futuræ vitæ viribus comparatis. Ita Corneti propositio infinitate suâ complectitur errorem Lutheri & Caluini, qui negant hominem vel fidelem vel etiam gratiâ Dei præditum, mandatum Dei vllum sicut oportet implere posse, imò & quandiu superstes est omni in facto peccare, etiam cùm Dei mandata in speciem facere maximè videatur. Cùm Iprensis Episcopi propositio, quæ mera est Augustinianæ doctrinæ anacephalæosis, hoc tantùm, sed summum illud tamen, dogma contineat: Deum nempe sinere interdum Iustos in languorem & defectum incidere, vt agnoscant, quidquid habeant virium,

ab ipsò oriri, non verò in seipsis esse natum.

Quinta essentialis differentia.

Essentialis differentia quinta ea est propositionem inter Corneti & propositionem Iprensis Episcopi, *quòd vox impossibilis & possibilis*, cùm nullius orationis serie determinetur, de omni possibilitatis genere possit intelligi, vt non falsò de Iustis illis dici possit, de quibus mentio in propositione, hæc illis mandata absolutè loquendo esse impossibilia, imò nec vllam dari ea implendi possibilitatem, quod Caluinianam hæresim redolet. E contrario verò in Iansenianâ propositione, hæ voces cùm iuxta sententiam authoris accipi debeant, id dici non potest, iustis i[illegible]s qui debilem & imperfectam aliqua mandata implendi voluntatem habent, voluisse illum omne genus possibilitatis ea seruandi detrahere, sed proximam tantum & completam possibilitatem, quæ non caret effectu suo, quæque idcirco nunquam obtinetur, iuxta Sancti Augustini indubitatam doctrinam, nisi Christi efficax gratia accedat. Iprensis enim Episcopus capite in integro, quod libri tertij decimum quintum est, quodque ea omnia explicat quæ in capite decimo tertio proposuerat, vnde huius propositionis verba desumpta, planis verbis sic habet.

Obseruandum est in rebus ad vitam bonam seu pietatem spectantibus, multipliciter hominem dici, posse aliquid.

1. Remotissimè per solam liberi arbitrij flexibilem facultatem ad bonum & malum.

2. Paulò propinquiùs dicimur posse benè viuere per fidem, quia est semen orationis, &c.

3. Dicimur multo pleniùs propinquiusque posse per charitatem, per quam homo iustificatur.

4. Itaque completissimè dicimur posse, quando Sancti

Spiritus inspiratione sic voluntas præparatur, vt non nudè possit, sed etiam velit. Tali gratiâ non solùm posse, sed etiam ipsum agere adiuuatur. Dat enim non solùm posse si velis, sed & velle quod potes.

Quæ omnia multis posteà locis Augustini more suò comprobat Iprensis Episcopus.

Constat igitur, prauum sensum, qui cadit in eam Corneti propositionem, Dei nempe mandata iustis absolutè loquendo esse impossibilia, nullamque iustis ea seruandi esse possibilitatem, eum, inquam, sensum Iprensis Episcopi propositioni nonnisi per summam calumniam malitiamque affingi posse, quandoquidem Iprensis Episcopus de iustis illis, qui quibusdam in occasionibus non satis validam ad difficile quodpiam mandatum implendum voluntatem habent, *qui non tantùm volunt, quantùm sufficit vt volendo faciant*, vt inquit Augustinus, de illis ipsis iustis ita docet, mandata Dei illis esse pluribus modis possibilia, atque adeò de illis aliud dicit nihil, quàm quod luce clarius est, transitoriis scilicet in occasionibus id illos non posse vltimo possibilitatis genere, proximæ, perfectæ, & absolutæ, quam dat gratia potestatem simul & effectum complexa, quæque adeò ab illis abest hominibus, qui imperata non faciunt, quales aliqui Iusti sunt, de quibus hoc in loco Iprensis Episcopi sermo est.

Ipso aduersariorum testimonio probatur Iprensis Episcopi Innocentia, quod ad primam hanc propositionem pertinet.

Postquàm Iansenium his criminibus suo ipsius testimonio liberauimus, nihilo difficiliùs ipso aduersariorum testimonio ad eandem rem vtemur. Hæc duo potissimùm de hac primâ propositione certo dici pos-

ſunt; primùm, cenſurâ quidem eſſe digniſſimam, eâ tamen ſolummodò conditione, vt hæreticam Lutheri Caluinique ſententiam ſignificare intelligatur; alterum eſt, in hanc ipſam propoſitionem verbis etiam nihil mutatis Catholicum ſenſum cadere, quippe quæ ſancti gratiæ doctoris doctrinam habeat.

Primum quidem ex eo probatur, quòd omnes Iprenſis Epiſcopi aduerſarij, qui hanc primam propoſitionem, ante conſtitutionem editam impugnauerunt, non alio eam nomine impugnauerunt, quàm quod ipſiſſimam Lutheri & Caluini ſententiam per Concilium Tridentinum damnatam continere videretur; quod intelligi poteſt ex cenſuris Facultatis Theologiæ Pariſienſis aduersùs Lutherum per Dominum Amiot editis: ex ipſo Annati libro, qui inſcribitur, *Informatio de propoſitionibus*, &c. ex Domino Hallier in ſcriptis Romæ editis, quæ penes nos habemus; ex ipſis denique Ieſuitis Collegij Claromontani, qui in Theſibus anno 1644. excuſis, Caluino & Luthero hanc propoſitionem attribuunt, vbi ipſis Iprenſis Epiſcopi verbis poſtquàm eam explicuerunt, citant è regione Caluini locum, vnde ſe eam ſumpſiſſe gloriantur, quo in loco planis verbis Caluinus docet, impoſſibilem eſſe legem Dei, non Iuſtis modo quibuſdam & ſingularibus, quibuſdam in circumſtantiis, ſed omnibus Iuſtis, & toto eorum vitæ tempore. Conſtat itaque, non aliam ob cauſam viſam eſſe Ieſuitis hanc propoſitionem damnatione dignam, quàm ob Caluinianos & Lutheranos ſenſus quos affingebant, quos à Ianſeniano longiſſimè diſtare modò docuimus, nec poſſe adeò damnari, qualis eſt apud Iprenſem Epiſcopum, ſi ratio habeatur Catholici ſenſus, ſecundùm quem verba quibus conſtat accipiuntur, quique alius non eſt quàm ipſius Auguſtini.

Sacrilega eſt & impia Caluini Lutherique ſententia in qua ſtatuūt, Caluinus in antidoto ad ca. 12. 16. ſeſſ. 6 Lutherus in latom. eſſe in lege gratiæ quæ iam homini præcepta illi ſecundū ſtatum & vires in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia, & eam impotentiā etiam in fidelibus reperiri, nec tantūquando nolunt præcepta implere, ſed etiam quando volunt.

Atque hoc alterum est, quod iterùm aduersariorum ipsius testimonio demonstratur. Si quis palam & apertè professus est, aduersari se Iprensi Episcopo, is certè est Dominus Pereiret Doctor Parisiensis, nec ita multò ante Theologiæ Professor in Collegio Nauarrico; is tamen agnouit, hanc ipsam propositionem, his ipsis quæ mutuatus est & excerpsit ex Iansenij libro verbis conceptam, veram esse & indubitatam Augustini sententiam. Eius hæc verba sunt, excerpta ex tractatu ab ipso dictato in Scholis Nauarricis anno D. 1642. *Augustinus vult, quædam esse præcepta, quæ etiam fidelibus & iustis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deesse quoque gratiam, quâ sint proximè possibilia.* Et iterum in altero tractatu nouem annis posteà, duobus scilicet post oblatas à Corneto Parisiensi Facultati famosas quinque propositiones, hæc eadem repetit. *Sic*, inquit, *Augustinus * quidem vult esse præcepta, quæ etiam fidelibus & iustis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires sunt impossibilia, deesse*que *gratiam, quâ sint proximè possibilia.* Primæ propositionis hæc ipsissima verba sunt. Sic proprio aduersariorum ore ostenditur esse verum, quod verum esse semper contendimus, hanc scilicet in propositionem sensus duos cadere, quorum alter Caluinianus & hæreticus est, si nempe spectabitur verborum ipsius infinitas, quatenus à determinantibus verbis abstrahitur: Alter verò Augustinianus & Catholicus, qualiter spectauit Dominus Pereiret, vt nempe in Iprensis Episcopi libro ea determinatur.

Lib. 4. de statu iustitiæ reparatæ cap. 1. art. 7.

Tractatus dictati anno D. 1651. articulo 10. cuius titulus est, *an ex S. Augustino omnibus iustificatis semper detur gratia, quâ mediatè vel immediatè possint præcepta diuina obseruare §. ex iis constat.*

* *quædam* fortè discipulus scribere debuisset.

De qvatvor vltimis propositionibvs generatim.

Nullâ ratione dici posse, eas propositiones quatuor, esse Iansenianas.

Id quidem hactenus abundè probatum est, primam

propositionem Iansenianam non esse, etsi Iansenianis verbis constiterit, quòd ex iisdem verbis, si cum antecedentibus & consequentibus cohæreant, alia extet propositio apud Iprensem Episcopum, quàm si fuerint auulsa. Quatuor verò postremas, nulla causa est, cur negent Molinistæ à se fuisse compactas, quando nullus liber est, vnde se eas petiisse possint gloriari. Atque eos hominum simplicitate maximè fretos & confisos oportuit, qui fidem apud omnes se habituros sperauerint, si in Iprensis Episcopi libro æquales propositiones esse dixerint. Si enim ita se res habuerit, quid eiusmodi propositiones, quas æquales esse mentiuntur, ad censuram non postulauerint, summoque Pontifici obtulerint? Quid enim opus fuit, nouas, quæ eius in libro non sunt, fabricari, si aliæ inerant in eius libro non minùs hæreticæ, non minùs impiæ, quàm nouellæ per ipsos fabricatæ? quod primam ipsis Iprensis Episcopi verbis, etsi mutilatis & corruptis, concinnauerint, nunquid perspicuè arguit, eos, si quid in huius scriptoris commentariis inuenissent, in quod hæretici quatuor vltimarum propositionum sensus cecidissent, non fuisse dubitaturos propriis scriptoris verbis conscribere, quod fecerunt in primâ, nec ad iniquam conditionem nouas comminiscendi fuisse descensuros, quas posteà per summam calumniam & inuidiam, magni Episcopi, quem infamare gestiunt, libris affingerent. Nemini igitur dubium esse potest, quin hæ propositiones vltimæ quatuor, non Iansenianæ sint, quod sufficit quidem ad probandum, nonnisi iniuriâ dici posse, damnatum esse per Constitutionem, sed præterea facile est demonstrare sigillatim, sumptis propositionibus quod omnino contrarium est, eius in libris haberi.

SECVNDA

SECVNDA PROPOSITIO.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.

Hanc Corneti propoſitionem ex Iprenſis Epiſcopi libro non eſſe excerptam; quin & in ſuo libro ex contrariâ parte multa docuiſſe.

IS apud ſecundam Corneti propoſitionem damnatur error, interiori gratiæ numquam reſiſti. Atque adeò ſi oſtenditur Iprenſis Epiſcopus planis verbis docuiſſe, interiori gratiæ ſæpè reſiſti, contrarium quod eſt damnatæ propoſitionis, ipſum docuiſſe probatum erit. Solem verò meridiè lucere negauerit, qui hæc loca obſcura eſſe dixerit.

Primus locus vbi Iprenſis Epiſcopus de ſecundâ Corneti propoſitione, contrariè ſcribit, tomo 3. lib. 2. cap. 27.

Conſtat, inquit, *multos diuinitùs mente colluſtrari, imò verò & in ipsâ voluntate, motibus diuinæ gratiæ percelli, qui tamen ab eius internâ ſuaſione & inclinatione diſſentiunt.* Non cœcus qui fuerit, facilè cognoſcet, de eâdem propoſitione, quam concinnauerat Cornetus, contrariè omnino ſcriptum eſſe ab Iprenſi Epiſcopo, ſiue eius voluntas ſententiáque ſiue verba ſpectentur.



INTERPRETIS AD LECTOREM ADMONITIO.

HOc te breuiter monitum volo quisquis proximum locum legisti, à Molinistis esse carptum tamquam non fideliter excerptum, id causatis, obiecti vice scripsisse Iansenium, quod pro Genuinâ eius sententiâ productum est. Quàm temerè, ne dicam malitiosè, id jactauerint, facile erit intellectu, si totum Iansenij locum perlegeris. Obiecti enim vice si scriptus est locus, quod fateor, nihilo seciùs veram Iansenij mentem habet: Neque enim id sibi quod objici posse dicit, vllomodo damnat, sed probat maximè; quod autem inde quis temerè inferre vellet, id verò damnat. Ita se habet locus. Nec verò moueat quemquam, quòd constet, multos diuinitus mente collustrari, imò verò & in ipsâ voluntate motibus diuinæ gratiæ percelli, qui tamen ab eius internâ suasione & inclinatione dissentiunt, vt propterea falsum putet, gratiam in eo cui datur semper operari effectum ob quem datur. *Quod sibi obiecit Iansenius, verum esse assentitur; solum verò consequens negat; quod & eius ex responso patet, in quo duplex velle exponit, aliud perfectum, aliud imperfectum, docetque, per gratiam Christi quantùmuis paruam, primam saltem ac tenuissimam boni complacentiam excitari.* Hæc ergo, *inquit*, primus est cælestis istius roris effectus, quem vt minimum

in omnibus operatur, quibus eum infundit Deus. *Quod verùm esse contendit Iansenius, quatenus id significat, gratiam in eo cui datur semper operari effectum, ob quem datur: quamquàm si spectetur perfectum velle, ad quod voluntas imperfecta, seu gratia quæ dat voluntatem imperfectam, præparat & refertur, certißimè constet, sæpe voluntatem motibus diuinæ gratiæ perculsam, ab eius internâ suasione & inclinatione dissentire. Quare fideliter & religiosè propositio relata est, nec in Iansenij sententiâ verbisue quicquam immutatum potest dici. Si verò* CONSTAT multos diuinitus &c. *indicatiuum modum habet pro subiunctiuo, nihil interest, & idem significatur, breuitatisque tantùm & perspicuitatis id causâ factum, vt satis intelligitur. Id te volebam, Lector, nescius ne esses.*

*Sed & aliud est quod plus mireris. Etsi enim Iesuitæ, homines tam vecordes existimauerint, vt illis ad hunc modum imponere non dubitauerint, quasi nemo oculatus futurus fuerit, quasi nemo ipsum Iansenij locum aditurus, id tamen etsi stultißimum tamen vtcunque ferendum, quia à Iesuitis profectum eiusmodi pugnæ generis neque insolentibus neque ignaris; id verò quis ferat tam infaustæ pugnæ eos Epinicium subiunxisse? vbi enim alienam obiectionem, Iansenij pro conclusione Iansenistis fuisse, inflatis buccis tumidoque ore apud omnes conquesti sunt, & iustam esse suam querimoniam miris ambagibus, omißionibus ac dißimulationibus vnâ bene grandi ac patenti paginâ * legentibus in animum inducere conati sunt, hæc glo-*

*quæ ... nibat ... pud C...

Gabrielem Cramoisi circa Calendas Aprilis. *riabundi tanquam certâ & exploratâ victoriâ subjiciunt*, Si non erubescunt Ianseniani tam manifestæ perfidiæ conuicti, nego vllas honesti pudoris reliquias illis superesse. *Et quasi timerent ne plausus hominum huic epiphonemati deesset, suum statim plausum ipsi largiter accommodant in illâ Satyrâ, cui nomen* ARS ET DISCIPLINA IANSENIANA *his verbis*, Cauilli Iansenianorum à Patre Annato vnicâ iterum paginâ compressi penitus. *Quid ad hæc, Lector? Quid ad homines tam duræ frontis? Certè*, Si non erubescunt *Iesuitæ* tam manifestæ *insolentiæ* conuicti, nego vllas *vllius* pudoris, *non* reliquias *dicam*, *sed* reliquiarum *vmbras superesse*.

Pag. 15. in margine.

Alter locus excerptus è tomo 3. lib. 8. cap. 2.

Si Iprensis Episcopus damnato in secundâ propositione errori fauisset, *interiori gratiæ nunquam resisti*, docere eum necesse fuisset, quocumque in statu voluntas constituatur, gratiâ Dei semper perfici vt agamus, nosque quotiescumque resistimus, semper ab ipsâ superari; contrariè verò, & planè & formaliter; vt aiunt, scripsit. *Christi adiutorium non tale est, vt in quibuscumque circumstantiis voluntas collocetur, semper faciat facere, & operetur effectum suum, omnemque superet resistentiam. Nam delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adiutorium, relatiua est, tunc enim est victrix quando alteram superat. Quòd si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus, nec efficaciter vnquam volet quod volendum est. Tom. 3. lib. 8. cap. 2.* tam perspicuus locus est, vt relegere inutile esse videatur.

Tertius locus excerptus è tom. 3. lib. 4. cap. 16.

Si Iprensis Episcopus errori damnatæ propositionis fauisset, *interiori gratiæ nunquam resisti*, in eâ fuisse opinione oportuit, gratiam, cùm intrinsecùs apud animum agit, sic eum rapere, vt omnino prohibeat resistere. Contrariè verò scribit, & planis quidem verbis seu formalibus. Augustini enim vestigia secutus dicit, non tantúm animum gratiæ resistere, sed & tam pertinaciter resistere, vt aliâ gratiâ opus sit, quâ resistentia superetur. Hæc sunt eius verba. *Adiuuans illa propriè ab Augustino & Patribus vocatur, quæ iam excitato acceptoque bonæ voluntatis motu, hominem iam volentem conantemque adiuuat, vt vel efficiat quod voluerit, vel vt fortiùs velit quod velle cœpit, carnisque concupiscentiam* ACCEPTÆ VOLVNTATI PERTINACISSIME RESISTENTEM *superet.*

TERTIA PROPOSITIO.

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Hanc tertiam Corneti Propositionem ex Iprensis Episcopi libro non esse excerptam, qui contrariè omninò scribit.

NOn hîc est controuersia de libertate Dei, Beatorum & Christi, quam tùm Hieronymus, Augustinus, Bernardus, reliquique Patres, tùm Thomas, Bonauentura, Scotus veteresque Scholastici omnes, apertè negant euerti felici quâdam necessitate, quam miris modis habet adiunctam. Etenim iuxta

hos Patres & Doctores, qui id pro certo docent, semetipsum Deus liberrimè vnàque necessariò amat, vt enim non potest non esse Deus, sic non potest non se amare: Angeli pariter & Beati Deum liberrimè amant, nec minus necessariò, cùm videre non possint quin ament: Christus Patri liberrimè obediens fuit, quandoquidem, vt testatur Paulus, in suæ obedientiæ præmium resurrectionis gloriam accepit, & maximè tamen necessariò obediuit, est enim impium, quod mirum est in Molinam cadere potuisse, si putetur Christus Patri suo iubenti potuisse non parere, atque adeò peccare. Itaque Iprensis Episcopi aduersarij, quod tam verum tamque compertum est, impugnare veriti, hanc de libertate in seipsâ propositionem sic adduxerunt & contraxerunt in angustum, vt in homines tantùm competeret, in statu naturæ lapsæ positos, cuius libertatis beneficio vel præmia vel pœnas promerentur, prout ab illis bene vel malè agitur, hominibusque persuadere conati sunt, ab Iprensi Episcopo hanc libertatem redigi ad coactionis tantùm immunitatem, repudiatâ necessitatis immunitate, idest, persuadere conantur, bene nos vel malè liberis actibus de Deo mereri iuxta Iprensis Episcopi sententiam, si facimus non inuiti, neque vi vllâ ad faciendum coacti; verumtamen necessariò nos agere, ablatâ nempe non agendi potestate. Hanc verò sententiam adeò non tutatur Iprensis Episcopus, vt scripserit, & fidei pro articulo habuerit, libertatem illam, cuius beneficio homines vel benè vel malè de Deo merentur in statu naturæ lapsæ, non solùm coactionis, sed & necessitatis expertem esse. Eius hæc verba sunt.

Primus locus, vbi Iprensis Episcopus de tertiâ Corneti propositione contrariè scribit, excerptus est è tom. 3. lib. 6. cap. 34.

Hominum viatorum (atque adeò in natura lapsâ) *non solùm coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est eam ad vtrumque indifferentem esse, cum Scripturis, Augustino, & Patribus & Catholicâ fide fatemur perlibenter.* Quid magis perspicuum, quid huic tertiæ propositioni magis contrarium dici potest?

Alter locus excerptus è tomo 3. lib. 6. cap. 36.

Cum iuxta hanc Corneti propositionem, nulla alia ad benè vel malè de Deo merendum libertas requiratur, quàm vt vis absit & coactio, necessariò inde consequitur, quemlibet voluntatis motum, à vi & coactione immunem, esse liberum, atque in eiusmodi motum bonum aut malum meritum cadere. Id verò pernegat Iprensis Episcopus, qui huic errori contrariam sententiam his verbis planissimis, & vt aiunt formalibus, habet: *Ampliùs ergò requiritur sine dubio, quàm esse voluntarium, & sine violentiâ, vt sit liberum. Jansen. tom. 3. lib. 6. cap. 36.*

Quod inuictè probat exemplo improuisorum & non deliberatorum motuum voluntatis, qui voluntarij quidem sunt, & à voluntate vi & coactione immuni oriuntur, nec ideò tamen liberi sunt, quare ita concludit, per Pium quintum summum Pontificem has duas propositiones Baio attributas iure fuisse damnatas: *Quod voluntariè fit etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit, &, sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Tertius locus indidem excerptus.

Id prætereà videtur, tertiam hanc Corneti propositionem, vt eius se habent verba, necessariò in Lutheri & Caluini perniciosissimam hæresim inducere. *Indeliberatos animæ motus naturâ suâ vera peccata esse.* Quando enim hi motus à coactione & vi sunt immunes, si sola sufficit immunitas à vi & coactione, vt motus animæ nostræ sit liber quantum sat est ad benè vel malè de Deo merendum, atque adeò ad virtutem aut peccatum, inde necessariò sequitur, iuxta huius propositionis verba, prauos animi nostri motus etiam non deliberatos vera esse peccata, iuxta errorem Lutheranorum & Caluinianorum. *Constat*, inquit Iprensis Episcopus, *huiusmodi improuisos voluntatis motus esse voluntarios, & sine violentiâ ex voluntate fluere, nec tamen etiam illo sensu esse liberos.* Iansen. ibidem. Quo pacto igitur docuerit Iprensis Episcopus, immunitatem à vi & coactione sufficere ad libertatem, quâ bene vel malè de Deo meremur, iuxta tertiæ Corneti propositionis sententiam, quandoquidem tam perspicuè docet id quod tali sententiæ contrarium est, in loco nempe citato? alibi verò caput integrum nempe 24. lib. 2. tomi 2. adhibet, vt magnâ locorum Augustini multitudine, more suo demonstret, hos primos motus in seipsis non esse peccata, nisi fortè illis obtemperetur.

QVARTA

QVARTA PROPOSITIO.

Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

Hanc propositionem ex Iprensi Episcopo non esse excerptam, imò verò eum formalibus verbis contrariè scribere.

CVm huius propositionis prima pars, nempe Pelagianos agnouisse necessitatem interioris gratiæ, etiam ad initium fidei, historica quæstio sit & merè de facto, eam articulum fidei esse non posse satis constat. Quod ad secundam partem pertinet, Semipelagianos nempe, cùm admitterent gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, in hoc tamen fuisse hæreticos, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare, nemo non fateatur, Iprensi Episcopo non posse obiici, quòd in eâ fuerit sententiâ, nisi fortè hæresim esse credidit, agnoscere pro gratiâ necessariâ ad singulos actus fidei, gratiam talem, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. Tantùm verò ab eâ mente abfuit, vt eam potiùs tamquàm puram putam Caluini hæresim damnauerit, contenderitque, Catholicis omnibus, si Caluiniani esse noluerint, admittendam esse talem gratiam, vt illi possit humana voluntas resistere vel obtemperare. Eius hæc verba sunt.

Locus, vbi Iprensis Episcopus de hac Corneti propositione contrariè scribit, excerptus è tom. 3. lib. 8. cap. 21.

Ecclesia Catholica in Caluino improbauit, quòd Caluinus doceat, gratiam ita mouere hominem, vt non sit ei liberum resistere. Sic enim loquitur: voluntatem Dominus mouet non qualiter multis seculis traditum est & creditum, vt nostræ posteà sit ditionis motioni aut obtemperaae aut refragari: *Augustino autem Dominus ita mouet voluntatem, vt quàmuis infallibiliter conuertatur & operetur, possit tamen motioni Dei refragari aut obtemperare, seu, vt Concilium loquitur, illi dissentire si velit.*

Lib. 2. in princ. cap. 3.

An quidquam damnatæ propositioni magis contrarium dici potest, quandoquidem in propositione scribitur, hæreticum esse, qui gratiam talem admittat, cui possit resisti vel obtemperari; è contrario verò scribitur ab Iprensi Episcopo, hæreticum esse, qui gratiam talem esse neget, cui possit resisti vel obtemperari, idque in Caluino fuisse ab Ecclesiâ Catholicâ damnatum?

QVINTA PROPOSITIO.

Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Hanc propositionem ex Iprensi Episcopo non esse excerptam qui contrariè scribit.

MVltum interest, si quis dicat, hæc loca scripturæ: *Deus vult omnes homines saluos fieri*, &, *Chri-*

ſtus pro omnibus mortuus eſt, Semipelagianos de omnibus omninò hominibus excepto nemine eſſe interpretatos, aut ſi dicat, errorem eſſe Semipelagianum, de omnibus omninò hominibus excepto nemine interpretari. Cùm illud Epiſcopus Iprenſis dixit, tùm omnes vnà cum illo dicunt, neque ipſi hoc Moliniani factum negare poſſunt, Semipelagianos nempe hæc loca de omnibus omninò hominibus excepto nemine fuiſſe interpretatos; ſed falsò iactatur alterum dixiſſe, nempe quintam iuxta damnatam propoſitionem, interpretari neminem poſſe hunc locum de omnibus omninò hominibus, quin Semipelagianorum in errorem incidat.

Longè prætereà differt, ſi quis Semipelagianos dicat, his locis de omnibus omninò hominibus interpretatis abuſos eſſe, ad prædeſtinationem gratuitam euertendam, cæteroſque errores ſuos confirmandos; aut ſi quis dicat, talem interpretationem errorem eſſe Semipelagianorum. Hoc exempli causâ ponatur; Catholicis dicere licet, malitiosè abuti recentiores hæreticos interpretatione quorumdam Patrum & Summorum Pontificum, quâ Chriſti hæc verba, *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, interpretati ſunt de Petri confeſſione, vel de Chriſto qui prima petra eſt, quòd eiuſmodi interpretationibus Apoſtolicæ Sedis Primatum euertere conentur, nec ideò tamen arguendi illi Catholici quaſi hæreſeos Sanctorum Patrum damnauerint interpretationem, quam malè adhibuerunt hæretici; Sed id tantùm dici poteſt, vt ait Cardinalis Perronius, non eſſe abſolutam eiuſmodi interpretationem, neque complecti ea omnia, quæ his verbis Chriſtus ſignificare voluit. Si pariter ſcripſit Iprenſis Epiſcopus: *Semipelagiani his præcipuè Scripturæ teſtimoniis vſi ſunt: Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, &, *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, de omni-

bus omninò hominibus interpretati ad errores suos confirmandos, quod nemini dubium esse potest, patetque omnium oculis si legere voluerint; non ideò nisi per manifestam calumniam & turpiter vitiligando, inde causas quæri posse, hanc illi quintam iustissimè damnatam propositionem tribuendi: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse*. Vt enim notum sit omnibus, quàm ab eâ sententiâ alienus fuerit, id tantùm considerandum est, quòd quanquàm scripserit Iansenius, tùm Augustinum tùm Concilium Valentinum tertium Augustini vestigia secutum, nunquam verba scripturæ, *Christus pro omnibus mortuus est*, de omnibus omninò hominibus excepto nemine explicuisse, sed solùm de Ecclesiâ per totum orbem diffusâ, & omne hominum genus complexâ, cùm Synagoga certo populo tamquàm limitibus quibusdam angustissimis contineretur; nihilo seciùs tamen agnouit, aliam esse à sancto Prospero assignatam his verbis interpretationem, quæ Semipelagianis quidem nihil suffragatur, ad omnes tamen omnino homines excepto nemine pertinet, eamque ad interpretationem Scholasticos Doctores accessisse, qui vulgò docent Christum mortuum esse *pro omnibus omninò sufficienter, sed non efficienter*; hoc est, mortem eius ad omnium salutem sufficere, non tamen salutem omnibus afferre. Eius hæc verba sunt.

Locus Iprensis Episcopi, quo ostenditur, quàm alienus fuerit à tutandâ quintâ propositione, excerptus è tom. 3. lib. 3. cap. 20.

Respondeo igitur, quando Christus ab Apostolo dicitur Redemptionem semetipsum dedisse pro omnibus in cruce, videlicet pro omnibus moriendo, ab aliquibus intelligi, quòd se dederit redemptionem seu ἀντίλυτρον id est pretium pro om-

nibus omnino sufficienter, quia sufficiens pretium obtulit, non tamen pro omnibus omninò efficienter, quia non omnibus applicatur ista redemptio, idque iuxta regulam à S. Prospero diuersis in locis traditam, vt ad obiectionem primam Vincentianam: quod ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, Sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc sæculum sine fide Christi, & sine regenerationis Sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt........ *Quibus consentanea loquitur in responsionibus ad capitula Gallorum.* Cùm itaque rectissimè dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem, potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit....... *Cui conformiter dicere scholastici solent, Christum omnes redemisse sufficienter non efficienter. Solutio ista facilis est, ex quâ nullomodò sequitur, sufficiens adiutorium omnibus ex tali redemptione omnium esse præparatum.* In res ad 9.

Quando ergo Iprensis Episcopus agnoscit, non solùm à Scholasticis doctoribus, sed & à S. Prospero Catholicam esse attributam interpretationem his verbis Apostoli ad omnes omninò homines pertinentem, certum est, ipsum accusari non posse, quasi peruulgatam interpretationem tanquàm Semipelagianum errorem damnauerit, nisi fortè accusetur, fuisse ipsi sanctum Prosperum pro Semipelagiano, quod vel mente fingere esset perridiculum.

Iniuriâ ergo damnetur vt Semipelagianus error, quod facit Corneti propositio, generalis omnium omnino hominum per Christi mortem redemptio, quando hæc generalis redemptio catholico modo potest explicari, quem S. Thomas habet multis in locis, & ante eum S. Prosper, Christum nempe mortuum

esse pro omnibus omnino hominibus excepto nemine, *quod ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani.* Nec ideò non relinquitur alia ratio redemptionis Christi ad omnes omninò homines extendendæ, etiam ad infideles in impietate morientes & ante mortem Christi damnatos, quam rationem repudiauit tertium Concilium Valentinum vt errorem, in celebri Canone, qui habet hæc verba : *Item de redemptione Sanguinis Christi; propter nimium errorem qui de hac causâ exortus est, ita vt, quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis qui à mundi exordio vsque ad Passionem Domini mortui æternâ damnatione puniti sunt, effusum illum definiant contra illud Propheticum; ero mors tua ô mors : ero morsus tuus inferne : illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, iuxta Euangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, quibus ipse Dominus noster ait : Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Can. 4.

Addita per summum Pontificem ad quintæ propositionis censuram, nihil pertinere ad Iprensem Episcopum.

Quod addit Summus Pontifex, damnare etiam se hanc propositionem eo nomine, quòd significare potest, Christum esse mortuum, pro salute dumtaxat prædestinatorum, id verò spectat tantùm hæresim Caluinianorum, qui docent, omnes gratias per mortem Christi concessas, electis tantùm concedi, atque adeò Christum, tantùm pro electorum salute esse mortuum, quam Caluinianorum hæresim dictum erat Romæ, esse in Galliâ restauratam per eos, quibus Iesuitæ nomen faciunt Iansenistarum. Ipse verò Epis-

copus Iprensis contrariè de eo argumento scribit, planisque verbis docet, Christum non solùm pro electorum salute esse mortuum, sed etiam vt multas reprobis gratias impertiret, quas nonnisi eius mortis beneficio consequuntur.


Locus Iprensis Episcopi, per quem à summi Pontificis censurâ penitus vindicatur, excerptus è tom. 3. lib. 3. cap. 21.

Iprensis Episcopus cùm duo hominum genera statuisset, alterum eorum, quibus ante sæcula fidem charitatem & perseuerantiam dare Deus decreuisset, alterum eorum, quibus fidem tantùm vel charitatem dare constituisset, quam perseuerantia non consequeretur, ita de vtrisque loquitur. *Quibusdam Deus, dare prædestinauit fidem, charitatem, & in eâ perseuerantiam vsque in finem, quos absolutè prædestinatos electos & saluandos dicimus: aliis charitatem sine perseuerantiâ, aliis fidem sine charitate. Pro primi generis hominibus tamquàm veris ouibus suis, vero populo suo, tamquàm absolutè saluando, semetipsum dedit ac tradidit. Pro aliis in tantum mortuus est, in quantum temporalibus diuinæ gratiæ effectibus exornandi sunt.*


Patet igitur, tantùm abesse, vt Iprensis Episcopus, id quod à summo Pontifice damnatum est docuerit, Christum nempe dumtaxat pro salute prædestinatorum esse mortuum, vt contrariam potiùs sententiam docuerit, mortuum esse scilicet, non tantùm pro electorum salute, sed vt reprobis omnes omninò gratias, quas ipsi suæ mortis beneficio essent consecuturi, elargiretur. Quodque de vtroque illo hominum genere loquitur, pro quibus Christus etsi diuerso quodam modo mortuus est, est ita certum apud Augustinum, vt id etiam non potuerit non fateri Iansenij infensis-

ſimus hoſtis Petauius in libro, in quo acerbiſſimè in illum inuehitur. Sic enim ſuper hoc argumento loquitur. *Quapropter ſi quis Auguſtini ſententiam illam amplecti voluerit, quæ prædeſtinationem ſine vllo ad merita reſpectu tamquàm ad cauſam fieri cenſet, reprobationem verò ex ſolo originali delicto; conſequens videtur, vt neque reproborum ſaluandorum voluntatem vllam habuiſſe aſſerat, neque pro eorum ſalute, vel eſſe paſſum, vel oraſſe: quî enim poterat, cum abſoluto decreto damnare ſtatuiſſet? Verùm, quoniam & in veteri Teſtamento & nouo complures extiterunt, qui in ſuſceptâ verâ fide ac pietate minimè perſeuerauerunt, & vniuersè pro omnibus, quibus gratiæ aliquid & adiumenti ad ſalutem idonei datum eſt, Chriſti merita profuerunt, non vt ſalui eſſent, ſed vt gratia illis ea tribueretur. Nulla enim eiuſmodi, niſi Chriſti parta meritis, mortalium vlli conceſſa creditur.*

Dogmat. Theol. lib. 10. cap. 5. num. 3.



ALTERA



ALTERA PARS HVIVS COMMENTARIOLI,

Vbi ad omnia respondetur argumenta P. Annati, quibus in libro nouißimè edito probare contendit, Propositiones, quas inuenire non potest in libro Iansenij, nihilominùs Iansenianas esse.

SI Annatus probandum suscepisset, quod modo probatum est, numquam quidquam à vero magis abhorruisse, quàm quod clarissimis Ecclesiæ hominibus persuadere conatus est; quinque nempe propositiones per Cornetum fabricatas, & Pontificiâ constitutione damnatas, ex Iprensis Episcopi libro fuisse excerptas, facere nihil potuit oportunius, quàm quod fecit in libro nouissimè edito, cui titulus est, authori quàm cuiquam contumeliosior, *Ianseniano-rum Cauilli.*

Quod ostendere facile erit, si super quâque propositione, Iansenius quod attulit, sigillatim spectauerimus.

PRIMA PROPOSITIO.

Hâc super propositione nihil aliud habet P. Annatus, nisi quòd ij, quos Iansenianos appellat, fatentur quidem ex Iansenij libro fuisse excerptam, verùm *queruntur esse dolosè auulsam à loco suo.* Ad quam querimoniam sic respondet; *Quod ad [illegible] id factum,* Pag.

tunc probauerint; quando constabit auulsa atque vnita sensum esse diuersum. Id verò rationibus inuictis probatum est, cùm quinque essentiales differentiæ productæ sunt, propositionem inter Iprensis Episcopi, qualis est antecedentibus & consequentibus comitata, & Corneti propositionem verbis aliquot illius scriptoris constantem, quæ malitiosè mutilata, significationem eduntomnino diuersam ab eâ sententiâ, quam habent in loco vnde desumpta sunt; atque adeò necesse est ita concludere, Annati etiam argumentationes si sequamur, hanc propositionem sicut & alias, Corneti tantùm esse, non Iprensis Episcopi.

SECVNDA PROPOSITIO.

P. ANNATVS.

II. PROPOSITIO damnata.	Propositio Iansenij. *Tom. 3. lib. 2. c. 11. vbi approbat id quod imputat Augustino.*
Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.	*Hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere.* Ibid. *Tales de gratiâ cogitationes (nempe vt sit quadam potentialis gratia cum quâ homo credat, conuertatur,*

operetur si velit; sin autem nolit, nullus sequatur voluntatis aut operationis effectus) iam olim conuellit Augustinus. Iter. cap. 27.

Augustinus nullam aliam agnouit actualem Christi gratiam, nec agnoscere potuit, præter efficacem. Iter. cap. 32.

Veram Christi gratiam semper agere & peragere effectum suum; & quæ hoc non facit, relegari ab Augustino ad legem atque doctrinam.

De primo loco Iprensis Episcopi, quem falsò contendit Annatus, eundem esse cum damnatâ Propositione.

NOn aliam certè ob causam Annatus, cùm propositiones Corneti & Iprensis Episcopi inter se conferre statuisset, à secundâ incipere veritus, à tertiâ maluit initium facere, ne primâ fronte pateret infandum consilium, quod semper habuêre Iesuitæ, deriuandi quinque propositionum confusam in ipsam Augustini sententiam, & persuadendi populo, hæreses à summo Pontifice damnatas, hæreses esse sancti gratiæ Doctoris. Nunquid enim hoc videtur habere propositum Annatus, cùm apud Iprensem Episcopum propositionem quandam scrutatus, quæ sit eadem cum alterâ damnatarum à summo Pontifice pro hæreticis, his verbis eam notat: *Propositio Iansenij tom. 3. lib. 2. cap. 11.* (vigesimum quartum est) *vbi approbat id quod imputat Augustino: Hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere?* Non dicit Iprensem Episcopum Augustino imposuisse, sed approbasse tantùm Iprensem Episcopum quod Augustino tribuit; etsi falsò tribuisse non audeat dicere, quia exoculasse nos oporteret, si aliud persuaderet Iprensem Episcopum in libro per Annatum citato retulisse præter ipsa Augustini verba. Ita si in Iesuitæ istius sententiam eamus, furiosoque eius voto respondeamus, persuasum erit nobis, Iprensem Episcopum ideò per Constitutionem Pontificiam damnatum fuisse hæreseos, quòd verbum Augustini vnum non negauerit, sed potiùs fideliter scripserit & retulerit. Id nempe Iesuitæ postulant, id student, vt sancti Augustini autoritas, quam violare hactenus in Ecclesiâ nefas fuerat, non modò suo ce-

dat Molinæ; sed etiam vt suus, veritatis nouus Doctor, Augustinus verò, doctor hæreseos habeatur. Parum mouentur, si ad hunc modum sacram Ecclesiæ traditionem, stabilissimum fidei nostræ firmamentum, euerterint; si Catholicam doctrinam, omni præsidio quo se tuetur aduersùs hæreticos; spoliauerint, si firmissimum illi propugnaculum ademerint, continuatam scilicet & non interruptam vnius omnibusque in Ecclesiæ ætatibus sibi constantis fidei seriem, quæ cùm in sanctorum Patrum libris retinetur, tùm in eorum maximè, qui variis temporibus, non sine Dei consilio, ad singulas singulis mysteriis contrarias hæreses profligandas, accesserunt; qualis fuisse Augustinus totius Ecclesiæ consensu iudicatus est, qui profligandæ Pelagianorum hæresi à Deo destinatus, quæ gratiæ mysterio aduersabatur. Hæc, inquam, omnia sùs dèque habent Iesuitæ, dummodò infandæ nouitatis suæ fidem astruxerint, seu fidei potiùs in articulos, errores suos conuerterint. Quiuis enim qui Iprensis Episcopi locum perlegerit, facilè intelliget, Augustinianum esse quod ibidem refertur; nec Augustinianum tantùm, sed ita sanctum, ita Catholicum, vt quamquàm Annatus pro hæresi per Innocentium X. damnatâ haberi postulet, nullâ tamen ratione negari possit, quin vnâ operâ totius fidei fundamentum radicitus euellatur.

LOCVS IPRENSIS EPISCOPI.

» Quamobrem 6 gratiam Dei Augustinus ita victri-
» cem statuit supra voluntatis arbitrium, vt non rarò
» dicat, hominem operanti Deo per gratiam *non posse*
» *resistere*; sed è contrario Deum, non quicquid vo-
» luntatem facturam præuidet, siue absolutè, siue
» conditionatè, sed quicquid omnino voluerit, in vo-

luntate operari, quam ipse magis habeat in suâ omnipotenti potestate, quàm ipsa voluntas se: *Cui volenti* (ait August. lib. de Correp. & grat. cap. 14.) *saluum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult.* Paulòque inferiùs in eodem libro & loco: *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo & in terrâ omnia quæcumque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominùs faciat ipse quod vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit.* Et exemplo explicans quod tradiderat: *Nisi fortè, vt ex multis aliqua commemorem, quando Deus voluit Saüli regnum dare, sic erat in potestate Israëlitarum subdere se memorato viro, siue non subdere, quod vtique in eorum positum erat voluntate, vt etiam Deo valerent resistere.* Et paucis adhuc interiectis de Amasai: *Numquid ille posset aduersari voluntati Dei, & non potiùs eius facere voluntatem, qui in eius corde operatus est per spiritum suum quo indutus est, vt hoc vellet, diceret, faceret?* Iansen. tom. 3. lib. 2. cap. 24.

An ergo cuiquam eorum qui de Deo nonnullam opinionem habuerint, vilis erit tam sanctæ, tam primis nostris diuinæ omnipotentiæ, quas à fide accepimus, persuasionibus, consona sentẽtia? an eò res nobis recidit, vt Catholicis esse non liceat, quin impij, quin Molinæ adiutores simus, ad imperium Dei in voluntatem humanam euertendum? *Quis porro tam impiè desipiat*, inquit Augustinus, *vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, in bonum non posse conuertere? Sed cùm facit, per misericordiam facit, cùm autem non facit, per iudicium non facit.* Enchir. cap. 98

An non per summum nefas, Ecclesiæ dignitatem

prodat & Apostolicæ Sedis, qui dederit ansam hæreticis objiciendi nobis, quòd proximam per Constitutionem Pontificiã, primus symboli articulus in hæresim sit conuersus? *Hoc*, enim *nisi credamus*, inquit adhuc Augustinus, *periclitatur ipsius nostræ confessionis initium, quâ nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quicquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

Ibid. cap. 96.

Sed absit vt præter Iesuitas aut coniuratos Molinianos, quisquam hanc summo Pontifici faciat iniuriam. Planè cæcum esse, aut malitiosè facere necesse est, qui dicere audeat, propositionem à summo Pontifice damnatam, eandem esse cum Augustini propositione per Iprensem Episcopum relatâ; vel, quod est dirius, si quid est inter illas discriminis, Augustini propositionem esse damnatâ peiorem, vt audacter & insolenter contendit Annatus. Augustini enim propositio per Iprensem Episcopum relata, & per Annatum citata, non solùm ita se habet, vt mutilauit: *Hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere*; sed, *non posse resistere, ita vt impediat Deum, quidquid omnino voluerit, in voluntate operari, nec faciat ipse de hominum voluntatibus quod vult*. Nullus verò Theologus tam rudis, vt non agnoscat, id à damnatâ propositione plurimùm discrepare, in quâ absolutè ac sine vllâ restrictione dicitur, interiori gratiæ numquam resisti, quod Iprensi Episcopo nisi per manifestam calumniam affingi non potest, qui contrariè scribit, vt demonstratum est. Hæc vltima propositio de gratiâ tantùm in se ipsâ loquitur, spectatâ videlicet solummodò iuxta motum animæ nostræ inditum, Deique largientis à consilio voluntateque abstractâ; nec dubitari potest, quin, illa si hoc modo spectabitur, gratiæ sæpe resistamus, cum id, ad quod gratiæ motus inducit, omittimus facere, vt dare

eleemosynam si prætermittimus, cùm ad id faciendum nos inducit gratia: si verò cum Dei voluntate gratia coniungitur, seu potiùs Deus ipse spectetur, qui per gratiam agit ex præscripto consiliorum voluntatis suæ omnipotentis, quæ non esset omnipotens, vt inquit Augustinus, si cuiuspiam creaturæ voluntate prohiberi posset; numquid hoc tùm verum est, tùm ipsa luce magis perspicuum, quod Augustinus prior, & eius posteà sententiam secutus Iansenius docuit, illo modo non posse nos Deo per gratiam operanti sic resistere, vt Deum in nobis & per nos quidquid vult operari impediamus: *Quia enim ille hoc vult*, vt hîc vtar verbis S. Fulgentij, *qui omnia quacumque voluit fecit, & quod vult semper insuperabiliter facit, hoc vtique in nobis impletur, quod omnipotens Dei, voluntas incommutabilis & insuperabilis habet*: vtque etiam ait S. Prosper. Fulgen lib. 2. remiss. peccat.

Haud dubiè impletur quidquid vult summa potestas. Carm de Ing.

Sed vt Annato iam triumphanti, quòd Augustinum, impactâ cœlesti eius doctrinæ censurâ Pontificiâ, hæreticum reddiderit, nouum gaudium obiiciamus, doceamus illum S. Thomæ dignitatis quàm Augustini non magis habuisse rationem. Audiat qualiter & Thomas, ea quæ diximus, ipse declaret, gratiæ nempe, si iuxta Dei largientis consilium voluntatemque spectabitur, neminem resistere, eamque effectu suo carere numquam: *Alio modo*, inquit Thomas, *potest considerari, secundùm quod est à Deo mouente; & tunc habet necessitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest, secundùm quod Augustinus dicit libro de prædestinatione sanctorum, quod per beneficia Dei certissimè liberantur quicumque liberantur: vnde si ea intentio Dei mouentis est, vt homo, cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur, secundùm illud Ioan. 6. Omnis qui audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me.* 1. 2. q. 112. 3. in corp.

Denique vt Annati gaudium ſit plenum atque perfectum, audiat & Clementis octaui accerrimi Molinianæ doctrinæ flagelli vlciſcendi ſummam ſibi eſſe oblatam facultatem, ſi nempe doctiſſimum Papam cum ſanctis Auguſtino & Thomâ in eorum hæreticorum numero repoſuerit, qui per Innocentij X. Conſtitutionem ſunt damnati. Is enim eodem crimine tenetur quo Iprenſis Epiſcopus, citatque & approbat quod docet Auguſtinus: *Humanas voluntates non poſſe Deo reſiſtere, quominùs faciat ipſe quod vult, quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit.* Quæ enim Auguſtini loca citauit Iprenſis Epiſcopus, videnturque Annato ſecundam hæreſeon per Pontificiam Conſtitutionem damnatarũ habere, ea citata, rata, & confirmata ſunt, tamquam ſanctiſſimam ſententiam habentia, à Clemente VIII. mirâ in illâ oratione, quam habuit initio Congregationis de Auxiliis; & illis ipſis locis docuit, Auguſtinum Chriſti gratiæ efficaciam mirabiliter expoſuiſſe: *Quod ſi quis,* inquit, *ſcire cupiat vnde iſta gratia habeat ſuam efficaciam, millies affirmat S. Auguſtinus illam habere ab omnipotentiâ Dei:* Quod vbi multis Auguſtini locis comprobaſſet, locum tandem illum retulit, Annati quidem iudicio prauum & hæreticum, qui ſic habet. *Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo & in terrâ omnia quæcumque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura ſunt fecit, humanas voluntates* NON POSSE RESISTERE, *quominùs faciat ipſe quod vult, quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit.*

Idem prætereà magno in ſcripto præſtitit, quo in ſcripto, Auguſtini de gratiâ ſententiam titulis quindecim complexus eſt, quod vnâ in parte per Ieſuitas Molinæ deffenſores vbi impugnatum, & per Dominicanos omnibus in partibus eſſet propugnatum, à

Conſul-

toribus Paulo V. Pontifice confirmatum est. Quintus enim titulorum quindecim talis est. *Hæc gratia habet suam efficaciam ab omnipotentiâ Dei, & à dominio quod summa diuina maiestas habet in voluntates hominum, sicut in cætera omnia quæ sub cœlo sunt, secundum sanctum Augustinum.* Id probat etiam his locis omnibus Augustini, quæ quia protulit Iprensis Episcopus, hæreseos, Annati saltem iudicio, conuincitur.

Ac primus ille conatus fuit, quo studiosè egit Annatus Iesuita, vt hæreses à summo Pontifice damnatæ, in Iansenij libro reperirentur. Quem successum habuerit, ipse viderit, si non quàm optauerat fœliciorem, certè omnium opinione maiorem; cùm enim vnicum reum peragere speraret, id non potuit præstare, quin eodem crimine tres fœlicibus auspiciis illaquearet sui Moliniani dogmatis euersores, Augustinum, Thomam, & Clementem VIII. Vtrum tam secundo conatu cætera loca excussurus sit, experiamur.

Alter locus Iprensis Episcopi, quem eundem esse cum secundâ propositione damnatâ, contendit Annatus.

Primo quidem loco P. Annatus, victricem Christi gratiæ potestatem, quam euertendam suscepit societas, pro hæresi per summum Pontificem damnatâ haberi voluit; quod facinus sibi palmarium putant Moliniani. Hoc verò secundo loco aliud quidpiam agitat nihilo inferius: Suam enim Semipelagianam gratiam, quæ caret effectu vel non caret, prout libero visum est arbitrio, prò fidei nostræ articulo venditat. Quod apertè patebit, si Iprensis Episcopi locum integrum retulerimus, quem falsò citat tamquam ex 27. cap. eiusdem secundi libri desumptum, quamquàm in eodem vigesimo quarto capite ille sit, vbi superior locus est, quem citauerat, tamquam si in vndecimo fuisset.

bus omninò hominibus interpretati ad errores ſuos confirmandos, quod nemini dubium eſſe poteſt, patetque omnium oculis ſi legere voluerint; non ideò niſi per manifeſtam calumniam & turpiter vitiligando, inde cauſas quæri poſſe, hanc illi quintam iuſtiſſimè damnatam propoſitionem tribuendi: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe.* Vt enim notum ſit omnibus, quàm ab eâ ſententiâ alienus fuerit, id tantùm conſiderandum eſt, quòd quanquàm ſcripſerit Ianſenius, tùm Auguſtinum tùm Concilium Valentinum tertium Auguſtini veſtigia ſecutum, nunquam verba ſcripturæ, *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, de omnibus omninò hominibus excepto nemine explicuiſſe, ſed ſolùm de Eccleſiâ per totum orbem diffuſâ, & omne hominum genus complexâ, cùm Synagoga certo populo tamquàm limitibus quibuſdam anguſtiſſimis contineretur; nihilo ſeciùs tamen agnouit, aliam eſſe à ſancto Proſpero aſſignatam his verbis interpretationem, quæ Semipelagianis quidem nihil ſuffragatur, ad omnes tamen omnino homines excepto nemine pertinet, eamque ad interpretationem Scholaſticos Doctores acceſſiſſe, qui vulgò docent Chriſtum mortuum eſſe *pro omnibus omninò ſufficienter, ſed non efficienter*; hoc eſt, mortem eius ad omnium ſalutem ſufficere, non tamen ſalutem omnibus afferre. Eius hæc verba ſunt.

Locus Iprenſis Epiſcopi, quo oſtenditur, quàm alienus fuerit à tutandâ quintâ propoſitione, excerptus è tom. 3. lib. 3. cap. 20.

Reſpondeo igitur, quando Chriſtus ab Apoſtolo dicitur Redemptionem ſemetipſum dediſſe pro omnibus in cruce, videlicet pro omnibus moriendo, ab aliquibus intelligi, quòd ſe dederit redemptionem ſeu ἀντίλυτρον id eſt pretium pro om-

nibus omnino sufficienter, quia sufficiens pretium obtulit, non tamen pro omnibus omninò efficienter, quia non omnibus applicatur ista redemptio, idque iuxta regulam à S. Prospero diuersis in locis traditam, vt ad obiectionem primam Vincentianam: quod ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, Sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc sæculum sine fide Christi, & sine regenerationis Sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt........ *Quibus consentanea loquitur in responsionibus ad capitula Gallorum.* Cùm itaque rectissimè dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem, potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit...... *Cui conformiter dicere scholastici solent, Christum omnes redemisse sufficienter non efficienter. Solutio ista facilis est, ex quâ nullomodò sequitur, sufficiens adiutorium omnibus ex tali redemptione omnium esse præparatum.* In re. ad 9

Quando ergo Iprensis Episcopus agnoscit, non solùm à Scholasticis doctoribus, sed & à S. Prospero Catholicam esse attributam interpretationem his verbis Apostoli ad omnes omninò homines pertinentem, certum est, ipsum accusari non posse, quasi peruulgatam interpretationem tanquàm Semipelagianum errorem damnauerit, nisi fortè accusetur, fuisse ipsi sanctum Prosperum pro Semipelagiano, quod vel mente fingere esset perridiculum.

Iniuriâ ergo damnetur vt Semipelagianus error, quod facit Corneti propositio, generalis omnium omnino hominum per Christi mortem redemptio, quando hæc generalis redemptio catholico modo potest explicari, quem S. Thomas habet multis in locis, & ante eum S. Prosper, Christum nempe mortuum

esse pro omnibus omnino hominibus excepto nemine, *quod ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani.* Nec ideò non relinquitur alia ratio redemptionis Christi ad omnes omninò homines extendendæ, etiam ad infideles in impietate morientes & ante mortem Christi damnatos, quam rationem repudiauit tertium Concilium Valentinum vt errorem, in celebri Canone, qui habet hæc verba: *Item de redemptione Sanguinis Christi; propter nimium errorem qui de hac causâ exortus est, ita vt, quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis qui à mundi exordio vsque ad Passionem Domini mortui æternâ damnatione puniti sunt, effusum illum definiant contra illud Propheticum; ero mors tua ô mors: ero morsus tuus inferne: illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, iuxta Euangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, quibus ipse Dominus noster ait: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Can. 4.

Addita per summum Pontificem ad quintæ propositionis censuram, nihil pertinere ad Iprensem Episcopum.

Quod addit Summus Pontifex, damnare etiam se hanc propositionem eo nomine, quòd significare potest, Christum esse mortuum, pro salute dumtaxat prædestinatorum, id verò spectat tantùm hæresim Caluinianorum, qui docent, omnes gratias per mortem Christi concessas, electis tantùm concedi, atque adeò Christum, tantùm pro electorum salute esse mortuum, quam Caluinianorum hæresim dictum erat Romæ, esse in Galliâ restauratam per eos, quibus Iesuitæ nomen faciunt Ianseniſtarum. Ipse verò Epis-

copus Iprensis contrariè de eo argumento scribit, planisque verbis docet, Christum non solùm pro electorum salute esse mortuum, sed etiam vt multas reprobis gratias impertiret, quas nonnisi eius mortis beneficio consequuntur.


Locus Iprensis Episcopi, per quem à summi Pontificis censurâ penitus vindicatur, excerptus è tom. 3. lib. 3. cap. 21.

Iprensis Episcopus cùm duo hominum genera statuisset, alterum eorum, quibus ante sæcula fidem charitatem & perseuerantiam dare Deus decreuisset, alterum eorum, quibus fidem tantùm vel charitatem dare constituisset, quam perseuerantia non sequeretur, ita de vtrisque loquitur. *Quibusdam Deus, dare prædestinauit fidem, charitatem, & in eâ perseuerantiam vsque in finem, quos absolutè prædestinatos electos & saluandos dicimus: aliis charitatem sine perseuerantiâ, aliis fidem sine charitate. Pro primi generis hominibus tamquàm veris ouibus suis, vero populo suo, tamquàm absolutè saluando, semetipsum dedit ac tradidit. Pro aliis in tantum mortuus est, in quantum temporalibus diuinæ gratiæ effectibus exornandi sunt.*

Patet igitur, tantùm abesse, vt Iprensis Episcopus, id quod à summo Pontifice damnatum est docuerit, Christum nempe dumtaxat pro salute prædestinatorum esse mortuum, vt contrariam potiùs sententiam docuerit, mortuum esse scilicet, non tantùm pro electorum salute, sed vt reprobis omnes omninò gratias, quas ipsi suæ mortis beneficio essent consecuturi, elargiretur. Quodque de vtroque illo hominum genere loquitur, pro quibus Christus etsi diuerso quodam modo mortuus est, est ita certum apud Augustinum, vt id etiam non potuerit non fateri Iansenij infensis-

simus hostis Petauius in libro, in quo acerbissimè in illum inuehitur. Sic enim super hoc argumento loquitur. *Quapropter si quis Augustini sententiam illam amplecti voluerit, quæ prædestinationem sine vllo ad merita respectu tamquàm ad causam fieri censet, reprobationem verò ex solo originali delicto; consequens videtur, vt neque reproborum saluandorum voluntatem vllam habuisse asserat, neque pro eorum salute, vel esse passum, vel orasse: quî enim poterat, cum absoluto decreto damnare statuisset? Verùm, quoniam & in veteri Testamento & nouo complures extiterunt, qui in susceptâ verâ fide ac pietate minimè perseuerauerunt, & vniuersè pro omnibus, quibus gratiæ aliquid & adiumenti ad salutem idonei datum est, Christi merita profuerunt, non vt salui essent, sed vt gratia illis ea tribueretur. Nulla enim eiusmodi, nisi Christi parta meritis, mortalium vlli concessa creditur.*

Dogmat. Theol. lib. 10. cap. 5. num. 3.



ALTERA



ALTERA PARS HVIVS COMMENTARIOLI,

Vbi ad omnia reſpondetur argumenta P. Annati, quibus in libro nouiſsimè edito probare contendit, Propoſitiones, quas inuenire non poteſt in libro Ianſenij, nihilominùs Ianſenianas eſſe.

SI Annatus probandum ſuſcepiſſet, quod modo probatum eſt, numquam quidquam à vero magis abhorruiſſe, quàm quod clariſſimis Eccleſiæ hominibus perſuadere conatus eſt; quinque nempe propoſitiones per Cornetum fabricatas, & Pontificiâ conſtitutione damnatas, ex Iprenſis Epiſcopi libro fuiſſe excerptas, facere nihil potuit oportunius, quàm quod fecit in libro nouiſſimè edito, cui titulus eſt, authori quàm cuiquam contumelioſior, *Ianſenianorum Cauilli.*

Quod oſtendere facile erit, ſi ſuper quâque propoſitione, Ianſenius quod attulit, ſigillatim ſpectauerimus.

PRIMA PROPOSITIO.

Hâc ſuper propoſitione nihil aliud habet P. Annatus, niſi quòd ij, quos Ianſenianos appellat, fatentur quidem ex Ianſenij libro fuiſſe excerptam, verùm *queruntur eſſe doloſè auulſam à loco ſuo.* Ad quam querimoniam ſic reſpondet; *Quod ad* [illegible] *doloſè id factum,* Pag. 3.

tunc probauerint, quando constabit auulsa atque vnita sensum esse diuersum. Id verò rationibus inuictis probatum est, cùm quinque essentiales differentiæ productæ sunt, propositionem inter Iprensis Episcopi, qualis est antecedentibus & consequentibus comitata, & Corneti propositionem verbis aliquot illius scriptoris constantem, quæ malitiosè mutilata, significationem edunt omnino diuersam ab eâ sententiâ, quam habent in loco vnde desumpta sunt; atque adeò necesse est ita concludere, Annati etiam argumentationes si sequamur, hanc propositionem sicut & alias, Corneti tantùm esse, non Iprensis Episcopi.

SECVNDA PROPOSITIO.

P. Annatvs.

II. Propositio damnata.	Propositio Ianſenij. *Tom. 3. lib. 2. c. 11. vbi approbat id quod imputat Augustino.*
Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.	*Hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere*. Ibid. *Tales de gratiâ cogitationes (nempe vt sit quædam potentialis gratia cum quâ homo credat, conuertatur, operetur si velit; sin autem nolit, nullus sequatur voluntatis aut operationis effectus) iam olim conuellit Augustinus. Iter. cap. 27.*

Augustinus nullam aliam agnouit actualem Christi gratiam, nec agnoscere potuit, præter efficacem. Iter. cap. 32.

Veram Christi gratiam semper agere & peragere effectum suum; & quæ hoc non facit, relegari ab Augustino ad legem atque doctrinam.

De primo loco Iprensis Episcopi, quem falsò contendit Annatus, eundem esse cum damnatâ Propositione.

NOn aliam certè ob causam Annatus, cùm propositiones Corneti & Iprensis Episcopi inter se conferre statuisset, à secundâ incipere veritus, à tertiâ maluit initium facere, nè primâ fronte pateret infandum consilium, quod semper habuêre Iesuitæ, deriuandi quinque propositionum consutam in ipsam Augustini sententiam, & persuadendi populo, hæreses à summo Pontifice damnatas, hæreses esse sancti gratiæ Doctoris. Nunquid enim hoc videtur habere propositum Annatus, cùm apud Iprensem Episcopum propositionem quandam scrutatus, quæ sit eadem cum alterâ damnatarum à summo Pontifice pro hæreticis, his verbis eam notat: *Propositio Iansenij tom. 3. lib. 2. cap. 11.* (vigesimum quartum est) *vbi approbat id quod imputat Augustino: Hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere?* Non dicit Iprensem Episcopum Augustino imposuisse, sed approbasse tantùm Iprensem Episcopum quod Augustino tribuit; etsi falsò tribuisse non audeat dicere, quia exoculasse nos oporteret, si aliud persuaderet Iprensem Episcopum in libro per Annatum citato retulisse præter ipsa Augustini verba. Ita si in Iesuitæ istius sententiam eamus, furiosoque eius voto respondeamus, persuasum erit nobis, Iprensem Episcopum ideò per Constitutionem Pontificiam damnatum fuisse hæreseos, quòd verbum Augustini vnum non negauerit, sed potiùs fideliter scripserit & retulerit. Id nempe Iesuitæ postulant, id student, vt sancti Augustini autoritas, quam violare hactenus in Ecclesiâ nefas fuerat, non modò suo ce-

dat Molinæ; sed etiam vt suus, veritatis nouus Doctor, Augustinus verò, doctor hæreseos habeatur. Parum mouentur, si ad hunc modum sacram Ecclesiæ traditionem, stabilissimum fidei nostræ firmamentum, euerterint; si Catholicam doctrinam, omni præsidio quo se tuetur aduersùs hæreticos; spoliauerint, si firmissimum illi propugnaculum ademerint, continuatam scilicet & non interruptam vnius omnibusque in Ecclesiæ ætatibus sibi constantis fidei seriem, quæ cùm in sanctorum Patrum libris retinetur, tùm in eorum maximè, qui variis temporibus, non sine Dei consilio, ad singulas singulis mysteriis contrarias hæreses profligandas, accesserunt; qualis fuisse Augustinus totius Ecclesiæ consensu iudicatus est, qui profligandæ Pelagianorum hæresi à Deo destinatus, quæ gratiæ mysterio aduersabatur. Hæc, inquam, omnia sùs dèque habent Iesuitæ, dummodò infandæ nouitatis suæ fidem astruxerint, seu fidei potiùs in articulos, errores suos conuerterint. Quiuis enim qui Iprensis Episcopi locum perlegerit, facilè intelliget, Augustinianum esse quod ibidem refertur; nec Augustinianum tantùm, sed ita sanctum, ita Catholicum, vt quamquàm Annatus pro hæresi per Innocentium X. damnatâ haberi postulet, nullâ tamen ratione negari possit, quin vnâ operâ totius fidei fundamentum radicitus euellatur.

Locvs Iprensis Episcopi.

„ Quamobrem 6. gratiam Dei Augustinus ita victri-
„ cem statuit supra voluntatis arbitrium, vt non rarò
„ dicat, hominem operanti Deo per gratiam *non posse*
„ *resistere*; sed è contrario Deum, non quicquid vo-
„ luntatem facturam præuidet, siue absolutè, siue
„ conditionatè, sed quicquid omnino voluerit, in vo-

luntate operari, quam ipse magis habeat in suâ omnipotenti potestate, quàm ipsa voluntas se: *Cui volenti* (ait August. lib. de Correp. & grat. cap. 14.) *saluum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult.* Paulòque inferiùs in eodem libro & loco: *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo & in terrâ omnia quæcumque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominùs faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit.* Et exemplo explicans quod tradiderat: *Nisi fortè, vt ex multis aliqua commemorem, quando Deus voluit Saüli regnum dare, sic erat in potestate Israëlitarum subdere se memorato viro, siue non subdere, quod vtique in eorum positum erat voluntate, vt etiam Deo valerent resistere.* Et paucis adhuc interiectis de Amasai: *Numquid ille posset aduersari voluntati Dei, & non potiùs eius facere voluntatem, qui in eius corde operatus est per spiritum suum quo indutus est, vt hoc vellet, diceret, faceret?* Iansen. tom. 3. lib. 2. cap. 24.

An ergo cuiquam eorum qui de Deo nonnullam opinionem habuerint, vilis erit tam sanctæ, tam primis nostris diuinæ omnipotentiæ, quas à fide accepimus, persuasionibus, consona sentētia? an eò res nobis recidit, vt Catholicis esse non liceat, quin impij, quin Molinæ adiutores simus, ad imperium Dei in voluntatem humanam euertendum? *Quis porro tam impiè desipiat*, inquit Augustinus, *vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, in bonum non posse conuertere? Sed cùm facit, per misericordiam facit, cùm autem non facit, per iudicium non facit.* An non per summum nefas, Ecclesiæ dignitatem

prodat & Apostolicæ Sedis, qui dederit ansam hæreticis objiciendi nobis, quòd proximam per Constitutionem Pontificiã, primus symboli articulus in hæresim sit conuersus? *Hoc*, enim *nisi credamus*, inquit adhuc Augustinus, *periclitatur ipsius nostræ confessionis initium, quâ nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quicquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

Ibid. cap. 96.

Sed absit vt præter Iesuitas aut coniuratos Molinianos, quisquam hanc summo Pontifici faciat iniuriam. Planè cæcum esse, aut malitiosè facere necesse est, qui dicere audeat, propositionem à summo Pontifice damnatam, eandem esse cum Augustini propositione per Iprensem Episcopum relatâ; vel, quod est dirius, si quid est inter illas discriminis, Augustini propositionem esse damnatâ peiorem, vt audacter & insolenter contendit Annatus. Augustini enim propositio per Iprensem Episcopum relata, & per Annatum citata, non solùm ita se habet, vt mutilauit: *Hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere*; sed, *non posse resistere, ita vt impediat Deum, quidquid omnino voluerit, in voluntate operari, nec faciat ipse de hominum voluntatibus quod vult*. Nullus verò Theologus tam rudis, vt non agnoscat, id à damnatâ propositione plurimùm discrepare, in quâ absolutè ac sine vllâ restrictione dicitur, interiori gratiæ numquam resisti, quod Iprensi Episcopo nisi per manifestam calumniam affingi non potest, qui contrariè scribit, vt demonstratum est. Hæc vltima propositio de gratiâ tantùm in se ipsâ loquitur, spectatâ videlicet solummodò iuxta motum animæ nostræ inditum, Deique largientis à consilio voluntateque abstractâ; nec dubitari potest, quin, illa si hoc modo spectabitur, gratiæ sæpe resistamus, cum id, ad quod gratiæ motus inducit, omittimus facere, vt dare

eleemosynam si prætermittimus, cùm ad id faciendum nos inducit gratia: si verò cum Dei voluntate gratia coniungitur, seu potiùs Deus ipse spectetur, qui per gratiam agit ex præscripto consiliorum voluntatis suæ omnipotentis, quæ non esset omnipotens, vt inquit Augustinus, si cuiuspiam creaturæ voluntate prohiberi posset; numquid hoc tùm verum est, tùm ipsa luce magis perspicuum, quod Augustinus prior, & eius posteà sententiam secutus Iansenius docuit, illo modo non posse nos Deo per gratiam operanti sic resistere, vt Deum in nobis & per nos quidquid vult operari impediamus: *Quia enim ille hoc vult*, vt hîc vtar verbis S. Fulgentij, *qui omnia quæcumque voluit fecit, & quod vult semper insuperabiliter facit, hoc vtique in nobis impletur, quod omnipotens Dei, voluntas incommutabilis & insuperabilis habet*: vtque etiam ait S. Prosper. *Fulgent. lib. 2. de remissione peccat.*

Haud dubiè impletur quidquid vult summa potestas. *Carmine de Ingrat.*

Sed vt Annato iam triumphanti, quòd Augustinum, impactâ cœlesti eius doctrinæ censurâ Pontificiâ, hæreticum reddiderit, nouum gaudium obiiciamus, doceamus illum S. Thomæ dignitatis quàm Augustini non magis habuisse rationem. Audiat qualiter & Thomas, ea quæ diximus, ipse declaret, gratiæ nempe, si iuxta Dei largientis consilium voluntatemque spectabitur, neminem resistere, eamque effectu suo carere numquam: *Alio modo*, inquit Thomas, *potest considerari, secundùm quod est à Deo mouente; & tunc habet necessitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest, secundùm quod Augustinus dicit libro de prædestinatione sanctorum, quod per beneficia Dei certissimè liberantur quicumque liberantur: vnde si ea intentio Dei mouentis est, vt homo, cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur, secundùm illud Ioan. 6. Omnis qui audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me.* *1. 2. qu. 112. art. 3. in corpore.*

Denique vt Annati gaudium sit plenum atque perfectum, audiat & Clementis octaui accerrimi Molinianæ doctrinæ flagelli vlciscendi summam sibi esse oblatam facultatem, si nempe doctissimum Papam cum sanctis Augustino & Thomâ in eorum hæreticorum numero reposuerit, qui per Innocentij X. Constitutionem sunt damnati. Is enim eodem crimine tenetur quo Iprensis Episcopus, citatque & approbat quod docet Augustinus: *Humanas voluntates non posse Deo resistere, quominùs faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit.* Quæ enim Augustini loca citauit Iprensis Episcopus, videnturque Annato secundam hæreseon per Pontificiam Constitutionem damnatarũ habere, ea citata, rata, & confirmata sunt, tamquam sanctissimam sententiam habentia, à Clemente VIII. mirâ in illâ oratione, quam habuit initio Congregationis de Auxiliis; & illis ipsis locis docuit, Augustinum Christi gratiæ efficaciam mirabiliter exposuisse: *Quod si quis,* inquit, *scire cupiat vnde ista gratia habeat suam efficaciam, millies affirmat S. Augustinus illam habere ab omnipotentiâ Dei:* Quod vbi multis Augustini locis comprobasset, locum tandem illum retulit, Annati quidem iudicio prauum & hæreticum, qui sic habet. *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo & in terrâ omnia quæcumque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates* NON POSSE RESISTERE, *quominùs faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit.*

Idem præstereà magno in scripto præstitit, quo in scripto, Augustini de gratiâ sententiam titulis quindecim complexus est, quod vnâ in parte per Iesuitas Molinæ deffensores vbi impugnatum, & per Dominicanos omnibus in partibus esset propugnatum, à

Consul-

toribus Paulo V. Pontifice confirmatum eſt. Quintus enim titulorum quindecim talis eſt. *Hæc gratia habet ſuam efficaciam ab omnipotentiâ Dei, & à dominio quod ſumma diuina maieſtas habet in voluntates hominum, ſicut in cætera omnia quæ ſub cœlo ſunt, ſecundum ſanctum Auguſtinum.* Id probat etiam his locis omnibus Auguſtini, quæ quia protulit Iprenſis Epiſcopus, hæreſeos, Annati ſaltem iudicio, conuincitur.

Ac primus ille conatus fuit, quo ſtudioſè egit Annatus Ieſuita, vt hæreſes à ſummo Pontifice damnatæ, in Ianſenij libro reperirentur. Quem ſucceſſum habuerit, ipſe viderit, ſi non quàm optauerat fœliciorem, certè omnium opinione maiorem; cùm enim vnicum reum peragere ſperaret, id non potuit præſtare, quin eodem crimine tres fœlicibus auſpiciis illaquearet ſui Moliniani dogmatis euerſores, Auguſtinum, Thomam, & Clementem VIII. Vtrum tam ſecundo conatu cætera loca excuſſurus ſit, experiamur.

Alter locus Iprenſis Epiſcopi, quem eundem eſſe cum ſecundâ propoſitione damnatâ, contendit Annatus.

Primo quidem loco P. Annatus, victricem Chriſti gratiæ poteſtatem, quam euertendam ſuſcepit ſocietas, pro hæreſi per ſummum Pontificem damnatâ haberi voluit; quod facinus ſibi palmarium putant Moliniani. Hoc verò ſecundo loco aliud quidpiam agitat nihilo inferius: Suam enim Semipelagianam gratiam, quæ caret effectu vel non caret, prout libero viſum eſt arbitrio, pro fidei noſtræ articulo venditat. Quod apertè patebit, ſi Iprenſis Epiſcopi locum integrum retulerimus, quem falsò citat tamquam ex 27. cap. eiuſdem ſecundi libri deſumptum, quamquàm in eodem vigeſimo quarto capite ille ſit, vbi ſuperior locus eſt, quem citauerat, tamquam ſi in vndecimo fuiſſet.

Locvs Iprensis Episcopi.

„ Ex quibus non eſt difficile perſpicere, quàm pro-
„ cul ab Auguſtini doctrinâ & ſenſibus aberraue-
„ rint, qui nobis talem gratiam procuderunt, quæ
„ ſemper explorat expectatque voluntatem hominis,
„ ne ſi fortè peruicacior fuerit, caſſa & inanis gratia,
„ & effectus diuinæ miſericordiæ irritus humanâ po-
„ teſtate reddatur. Nempe vt ſit quædam potentialis
„ gratia, cùm quâ homo credat, conuertatur, ope-
„ retur ſi velit; ſin verò nolit, nullus ſequatur volun-
„ tatis aut operationis effectus. Quales de gratiâ me-
„ dicinali cogitationes, quibus effectus ab eâ ponen-
„ dus dicitur. Si velimvs, iam olim conuellit
„ Auguſtinus cùm ad Simplicianum ſcriberet lib. 1.
„ qu. 2. *Illud autem neſcio quomodò dicatur, fruſtra Deum*
„ *miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, ergò*
„ *iam volumus. Ad eandem quippe miſericordiam perti-*
„ *net, vt velimus. Deus enim eſt qui operatur in nobis &*
„ *velle, & operari pro bonâ voluntate.*

Porro quis tantâ poſſit eſſe audaciâ, vt Iprenſem Epiſcopum poſſit affirmare, aliud quidpiam hoc in loco quàm S. Auguſtini ſententiam religioſiſſimè retuliſſe, atque adeò, quis ferat tam duræ frontis fuiſſe Annatum Ieſuitam, vt contendere ſit auſus, hanc ipſam fuiſſe Auguſtini ſententiam, quam vt hæreticam in ſecundæ propoſitionis cenſurâ ſummus Pontifex damnauerit, non aliam ob cauſam, quàm quia ſancti Doctoris ſententia ſemipelagianis Molinæ commentis aduerſatur. Sed Annatum Ieſuitam proprio ore conuincere licet: etſi enim incredibili ſit vir audaciâ, id tamen apertè ſperare non potuit, pro fidei articulo Pontificem ſanciuiſſe, vt gratia libero ſubiaceat arbitrio, quod Ieſuitarum affirmat ſchola, negant ſancti

Thomæ discipuli, qui Molinianam gratiam vt ipsissimum Semipelagianorum errorem exagitant, perfeceruntque, vt tamquam Semipelagiana in Congregatione de Auxiliis damnaretur. Itaque fateri cogitur, Pontificem non ademisse discipulis S. Thomæ suæ sententiæ deffendendæ libertatem, atque adeò potestatem reliquisse impugnandæ Molinianæ gratiæ, quæ effectu vel caret vel non caret prout humanæ visum fuerit libertati; quod hactenus fecerunt Thomistæ.

... in quo conuenimus (Thomistæ & Iesuitæ) sanciuit Pontifex, id in quo dissidemus disputationi nostræ reliquit. *Annat. pag.* 29.

Porro sole clarius est, Iprensem Episcopum tantùm decertasse in gratiam illam, quæ libero subiacet arbitrio, quæ effectu vel caret vel non caret vt voluntati libuerit: *Cum quâ homo credat, conuertatur, operetur si velit; sin verò nolit, nullus sequatur voluntatis aut operationis effectus.* Atque adeò omnium risu dignus est qui contendat propositionem vnam, quæ liquidò eadem est cum eâ quam Thomistæ contra Molinianum dogma defendunt, quam negat ipse à summo Pontifice damnatam, illam tamen ipsam esse, quam hæreseos damnauerit summus Pontifex.

Hoc nemini dubium esse potest, cui non inauditæ fuerint Thomistarum cum Iesuitarum doctrinâ querelæ. Verùm quia id vnum studet Annatus, vt earum rerum ignaros decipiat, ad illum reum malæ fidei peragendum pertinebit, ipsis Molinæ verbis ostendere, Iprensem Episcopum in loco per Annatum citato, vnicum & persolum Molinæ dogma impugnauisse, quodque impugnat dogma, tamquam Semipelagianum in Congregatione de Auxiliis fuisse damnatum. Vnde intelligetur, isto Iesuitarum Prouinciali nihil posse fieri fallacius, qui cùm agnoscat à summo Pontifice acta olim in Congregatione de Auxiliis non esse rescissa, tamen non veretur secum turpiter pugnare, vt falsò persuadeat, quod Congregatio de Auxiliis

Semipelagianorum esse iudicauerit in libro Molinæ; id ipsum per Pontificiam Constitutionem fidei nostræ verum dogma fuisse factum, quod sine hæreseos periculo negari non possit.

Nonnulli, inquit Molina, *ita sententiam hanc defendunt, vt duplex auxilium diuinum constituant, quoddam efficax, quoddam sufficiens; veruntamen hoc sufficiens sit inefficax. Quod verò auxilium efficax sit aut inefficax, censent nullâ ratione tribuendum esse libero arbitrio, quasi ex eo auxilium quodcumque, siue magnum siue paruum, efficax aut inefficax sit, quòd cùm arbitrium pro suâ libertate possit consentire & non consentire, cooperari cum illo & non cooperari, si consentiat & cooperetur vt potest, efficiet illud efficax, si verò non consentiat neque cooperetur, vt etiam potest, reddet illud inefficax: Sed ipsi auxilio siue Deo efficaciter per illud mouenti, tribuendum esse, quòd liberum arbitrium consentiat aut non consentiat, ita vt quoties Deus mouerit per auxilium, quod ex modo motionis diuinæ atque ex Deo ipso habet quòd sit efficax, liberum arbitrium consentiet, cooperabiturque ad salutem: Quòd si mouerit per auxilium quod à Deo non habet quòd sit efficax, liberum arbitrium non consentiet neque cooperabitur ad salutem, &c.* CERTE NON DVBITAREM SENTENTIAM HANC VLTIMO MODO EXPLICATAM ERROREM IN FIDE APPELLARE. *Ex actis Congreg. de Auxil.* 17. *Molinæ prop.*

Vel ex solâ Iprensis Episcopi loci cum verbis Molinæ comparatione satis intelligitur, aliud nihil Iprensem Episcopum, quàm Augustini doctrinam Molinæ placitis opposuisse, & negasse tantùm iuxta Augustinum gratiam talem esse, qualem sibi vano mentis errore Iesuita ille confinxerat, quæ careat effectu vel non careat, vt voluntati libitum est. Age, videamus quod & quale celebris Congregationis de Auxiliis fuerit Molinæ de dogmate iudicium. Moliniana pro-

poſitio quam modò retulimus, de quinquaginta, cenſuræ quæ fuerant expoſitæ, decima ſeptima fuit, docentque iſtius Congregationis acta, pariterque hiſtoria quam de eâ conſcripſit vir ille tanto in pretio apud omnes habitus, Romanæ Rotæ Decanus Franciſcus Pegna, hanc propoſitionem his verbis fuiſſe damnatam. *Hæc propoſitio & doctrina Patris Molinæ, quatenus docet efficaciam auxilij diuini pendere ab effectu & libertate arbitrij humani, non autem ab ipſo auxilio prout à Deo venit, & ex modo motionis diuinæ, videtur tradita à Semipelagianis, vt licet videre in Epiſtolâ Hilarij ad S. Auguſtinum. Aſſeritur autem à Molinâ contra expreſſam ſententiam S. Auguſtini, &c.* Quæ cenſura per Conſultores confirmata fuit, vt idem Pegna his aliis verbis docet. *Die Iouis* 5. *July* 1601. *Conſultores in hac cenſurâ permanentes, cenſuerunt propoſitionem* 17. *& eſſe aſſertam à Molina, & traditam iam olim à Semipelagianis.*

Varia igitur & multiplicia Annati conſilia conciliato, ſi pote eſt. Contendit Molina, eſſe efficacem vel inefficacem gratiam, prout libero viſum erit arbitrio: hoc Molinianum dogma erroris nomine damnatur à Congregatione de Auxiliis: impugnarunt & continenter impugnant hoc dogma Thomiſtæ: ſecundùm eos Congregatio de Auxiliis iudicauit: ipſo fatente Annato: ſuâ Conſtitutione Pontifex acta in Congregatione de Auxiliis non damnauit, nec Thomiſtarum dogmatis Molinæ contrariis, de gratiâ ſubiectâ libero arbitrio, quicquam incommodauit: Quia tamen Auguſtinus in loco per Iprenſem Epiſcopum citato, Molinianum de gratiâ libero arbitrio ſubiectâ dogma iugulat; illum nihilominùs Auguſtini locum, qui veriſſimum dogma continet vbi eſt in libris Thomiſtarum, quibus omnibus magno vſui eſt ad refellendum Molinam, oportet hæreſeos eſſe damnatum per Innocentij X. Conſtitutionem, velit nolit Innocentius, eo

tantùm nomine, quòd is in libro Iprensis Episcopi reperiatur. Sed licet Annatorum dena millia, vnàque hæretici de Ecclesiâ & Apostolicâ Sede euertendâ coniurati, antiquam gratiæ traditionem Pontificis Constitutione fuisse proculcatam, persuadere conentur, qui *non intendit*, iuxta Annati blasphemiam, *in Augustinum, vt eius doctrinam vel sanciret vel damnaret*, nulla nos calamitas, nulla insectatio clarè pronuntiare cum Augustino prohibeat: *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit. Si enim Deus miseretur, ergo iam volumus. Ad eandem quippe misericordiam pertinet vt velimus. Deus enim est qui operatur in nobis, & velle & operari pro bona voluntate.*

P. Annatus p. 28.

Aug. lib. 1. ad Simplic. qu. 2.

De tertio & quarto loco Iprensis Episcopi, quem contendit Annatus eundem esse cum secundâ Corneti propositione per summum Pontificem damnatâ.

Duo loci, de quibus agitur, rem eandem significant, *Nempe S. Augustinũ aliam Christi gratiam non agnouisse præter efficacem*: Sed Annatum, eadem ratione quæ secundo in loco est adhibita, facile est conuincere, vel ex ipsius verbis perspicuè intelligi, hanc propositionem non eandem esse cum damnatâ. Annatus enim fatetur, vt demonstratum est, summum Pontificem suâ Constitutione non damnasse, quod sancti Thomæ schola defendit: atqui celebris illius scholæ communis est sententia, omnem Christi gratiam esse efficacem, etiam eam quam tantùm sufficientem appellant, quod explicant ad hunc modum. *Reuerà enim*, inquit Syluius Duacensis Doctor celeberrimus, *omnis gratia est efficax alicuius effectus, eius nimirum ad quem proximè ordinatur, & quem Deus absoluta voluntate i-*

Iansen. to. 3. lib. 3. c. 27.

In 1. 2. q. 111. art. 3. pag. 812.

tendit, iuxta illud Psal. 113. *Deus noster in cœlo & in terra, omnia quæcumque voluit fecit; quàmuis non sit efficax alterius effectus, illius scilicet ad quem vlteriùs, tùm ex se, tùm ex voluntate Dei antecedente, ordinatur* (quæ iuxta sanctum Thomam velleitas est tantum.) Aluares verò nobilis Dominicanus, ac posteà Archiepiscopus Tranensis, idem docet, & hoc exemplo explicat. *Dicendum est omne auxilium sufficiens comparatione vnius actus, simul esse efficax respectu alterius ad quem efficiendum decreto absoluto diuinæ voluntatis destinatur: vt verbi gratia, auxilium sufficiens ad actum fidei, efficaciter producit in homine pias cogitationes, & notitias credendorum, vel pia desideria habendi fidem, qui actus regulariter loquendo antecedunt assensum fidei.* *Lib. de Auxiliis disp. 71. num. 13.*

Suam verò sententiam hoc Isaiæ loco comprobant: *Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Quibus verbis*, inquit Medina insignis è S. Thomæ scholâ Theologus in 1. 2. q. 109. art. 10. *significatur, vocationem internam, qua Deus alloquitur animam, vacuam non esse aut sine fructu, sed semper in homine habere aliquem effectum, illum videlicet, quem Deus efficaciter vult vt habeat.*

Eandem sententiam docent Auila, Errera, Arauxius, Cabrera, Cabezudus, Ledesma, Nazarius, Ioannes à sancto Thoma, atque imprimis Estius vir inter huius sæculi clarissimos Theologos nobilis. Is nullam verè sufficientem gratiam ab efficaci separatam agnoscit, & planè docet, nullam esse Christi gratiam quæ meram possibilitatem ab actu separatam largiatur, quia gratia Christi non potest esse sine initio aliquo bonæ voluntatis & iustitiæ.

Extra controuersiam est Iprensem Episcopum, cùm ex Augustini sententiâ negat vllam Christi gratiam effectu suo carere, omnemque gratiam in hoc

sensu efficacem esse contendit, non aliam habuisse sententiam quàm Thomistæ habent, gratiam nempe Christi proximum semper effectum consequi cui à Deo destinatur, etsi aliquando effectu careat ad quem suâpte naturâ refertur. Exempli causâ, si cui Deus peccatori mentem iniecit, vt ab improborum hominum discedat consuetudine, illius gratiæ motus duo sunt effectus, alter est contagiosæ sodalitatis renuntiandæ voluntas, alter verò ipsa discessio. Omni enim sincero & minimè ficto consilio, aliquid agendi finis est propositus. Primo quidem effectu gratiæ impulsus non caret: nec enim quid cuiquam potest Deus inspirare, quin hoc homo in animo habeat. Quod vero secundum ad effectum pertinet, qui hominis saluti magis cōducit (bona enim & sana consilia quæ nobis fuerint, nisi expleuerimus, maiori nos scelere obligant) constat iuxta Augustini & Iprensis Episcopi sententiam, eiusmodi hominis voluntatem vitio illaqueatam huic impulsui gratiæ posse repugnare, si improbis hominibus sodalitatem non renuntiauerit, quam suasit gratia renuntiare. Sic videmus Pontificiæ Constitutionis decretum contra Corneti propositionem, interiori nempe aliquando gratiæ resisti, congruere concorditer cum Augustini sententiâ, cui cùm Thomæ schola, tùm Iprensis Episcopus assentiuntur, omnem Christi gratiam in hoc sensu esse efficacem, quòd eo effectu caret numquam, quem Deus eam habere voluerit.

Ex prædictis perspicitur, Annatum summis opibus & viribus maximis scrutatum in Iprensi Episcopo secundam à Pontifice damnatam propositionem quam quærebat, inuenire non potuisse; eâque necessitate adductum, falsas interpretationes & absurdissimas consecutiones adhibuisse, quibus, hominibus, si posset, in animum induceret, certissimas Augustini & Thomæ sententias, easdem esse cum damnatâ propositione

ne


ne. Quod flagitium est Ecclesiæ & Apostolicæ Sedi dedecorosum. Iprensis verò Episcopi iniurias satis vlciscemur, satis illum à cauillationibus aduersariorum & sycophantiis defendemus, si iterum hanc veram eius propositionem, Corneti propositioni contrariam, referemus. *Constat multos diuinitus mente collustrari, imò verò & in ipsâ voluntate motibus diuinæ gratiæ percelli, qui tamen* AB EIVS INTERNA SVASIONE ET INCLINATIONE DISSENTIVNT. Quæ liquidò damnatæ propositionis negationem habet. Ita si vera sincera que de secundâ Corneti propositione per Pontificem damnatâ comparatio instituetur, sic instituenda videbitur.

DAMNATA CORNETI PROPOSITIO.

Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

PROPOSITIO IPRENSIS EPISCOPI.

Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ sæpe resistitur.



III. PROPOSITIO DAMNATA.

P. ANNATVS.

III. PROPOSITIO damnata.

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Iansenij Propositio. *Tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 5.

Vt igitur diuisionis ipsius natura percipiatur, memoria repetendum est id, quod tam prolixè ex Augustino, Bernardo, cæterisque tùm Patribus tùm scholasticis asseruimus libertatem arbitrij generalem & naturalem non esse aliam nisi à necessitate, per quam patet eos solam coactionem intellexisse. Ex quo fit vt apud eos liber actus idem sit qui non coactus. Et in alio loco eiusdem libri septimi: Quæ si vera sunt, sicut iuxta sanctissimi Doctoris principia vera sunt, non poterit amplius de eius mente dubitari, quâ eum sentire & constanter docere diximus, libertati arbitrij solam necessitatem coactionis, seu quæ etsi nolumus efficit id quod potest, esse contrariam, omnemque actum voluntarium seu spontaneum hoc ipso esse liberum.

RESPONSVM.

Prima parte huius commentarioli satis animaduersum est, quàm peruersè has propositiones Annatus inter se comparauerit: ibi enim demonstratum est plurimum interesse, si quis de libertatis naturâ generatim loquatur, qualis in Deo est, in Angelis, in Beatis, & in Christo in terris degente, aut si quis de libertate loquatur, quæ iam in hominibus in statu naturæ corru-

ptæ constitutis reperitur, ſpectenturque ea opera quibus de Deo vel benè vel malè merentur. Cornetus harum propoſitionum fabricator, veritus id vt cenſurâ dignum proponere, quod habetur apud Iprenſem Epiſcopum de libertate primo modo ſpectatâ, ita nempe ab Auguſtino, Hieronymo, Proſpero, Fulgentio, & reliquis Patribus, à Magiſtro ſententiarum, à Thoma, Bonauentura, Scoto, cæteriſque vetuſtioribus ſcholaſticis, libertatem generatim accipi iuxta naturam ſuam atque in ſe ipsâ, non verò qualis eſt ſi priuatæ hominum in terris degentium conditioni applicetur; atque ita à coactione quidem abhorrere, voluntariam verò neceſſitatem coniunctam habere, quæ neceſſitas in Deo tàm neceſſariò quàm libere ſeipſum amante, ex eorumdem Patrum & Theologorum ſententiâ reperitur: Cornetus, inquam, veritus laceſſere Catholicam & verendarum autoritatum copiâ firmatam ſententiam, de libertate in eam ſententiam ſic loqui voluit, vt ipſam iuxta ſecundum modum conſideraſſe videretur, contractam ſcilicet & redactam ad priuatam hominum in terris degentium conditionem, & ad opera quibus illi de Deo vel benè vel malè merentur. Quod inde animaduertitur, quòd illam his finibus circumſcripſerit: *Ad merendum & demerendum*, vt habet tertia propoſitio damnata, *in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

Quid ergo agit Annatus? Cùm propoſitum haberet inuenire apud Iprenſem Epiſcopum propoſitiones, quæ cum tertiâ propoſitione damnatâ eædem eſſent, in quibus adeò de libertate ageretur, non generali modò & naturali, ſed redactâ ad priuatum hominis in terrâ degentis ſtatum, de quâ ſolâ agitur in tertiâ propoſitione; aliud omninò agit quàm quod erat propoſitum, quodque habet magnam infamiam, loca

citat ea, in quibus è contrario agitur de libertate generatim, iuxta naturam quâ gaudet in se ipsâ, quam libertatis naturam considerauerunt vt soli necessitati contrariam, Augustinus, Bernardus, cæterique tùm Patres tùm scholastici, nec aliud quicquam hac necessitate præter coactionem & vim significarunt. *Memoria repetendum est* (quæ verba sunt ipsa Iprensis Episcopi per Annatum citata) *id quod tam prolixè ex Augustino, Bernardo, cæterisque tùm Patribus tùm scholasticis asseruimus, libertatem arbitrij generalem & naturalem* (notate hæc verba *generalem & naturalem*) *non esse aliam nisi à necessitate, per quam patet eos solam coactionem intellexisse.*

Si ergo liberaliter & ingenuè Annatus agere voluit, Iprensis Episcopi verba retulisse oportuit, in quibus nō generalis quædam libertas commemoraretur, de quâ non hic agitur, sed peculiaris potiùs hominum hanc vitam viuentium libertas, cuius beneficio de Deo vel benè vel malè merentur; per Annatum probatum oportuit, Iprensem Episcopum peculiarem hanc hominum libertatem cum necessitate coniunctam coactionis immunitati opposuisse; quod adeò non fecit Iprensis Episcopus, vt è contrario planis verbis eos refellat, qui Patrum de generali libertate dicta, ad peculiarem hominum in terris degentium libertatem vellent traducere, planeque doceat eosdem Patres indifferentiam illam generali libertati necessariam esse negauisse, quam peculiari attribuerunt.

Iprensis enim Episcopus, compluribus Scripturæ & Patrum citatis locis, qui libertatem ponunt in benè vel malè faciendo, in Dei mandatis implendis vel non implendis; *Respondet argumentum esse verissimum, quod ab ipso Augustino, Damasceno, Bernardo & cæteris non solùm admittitur, sed velut Catholicæ fidei immobilis basis aduersus Manichæos aliasque pestes veritatis & libertatis*

inimicas, inuictissimè defenditur ac defendi debet. Verùm ad propositum nostrum nihil facere facilè videt, quisquis oculos habet, quibus apertas veritates videat. Quis enim nesciat scripturas istas ac similes, de viatorum hominum libertate loqui? Illi quippe sunt quibus præcipitur bonum ac vetatur malum: illi sunt quibus ignis & aqua, vita & mors apposita sunt: illi sunt qui parem in vtramque partem habent voluntatis motum: illi denique qui possunt facere & non facere, seruare vel transgredi. Sed sicut ex istiusmodi Scripturæ testimoniis perperam concluderetur, ergo Deus libero arbitrio caret, ergo Angeli, ergo Beati homines, ergo Dæmones libertatis expertes sunt, ergo ipse Christus Dominus dum in via ad patriam tenderet, libertate caruit; cùm neque Beati, neque Christus Dominus præcepta transgredi possit aut potuerit, nec Deus eligere malum, nec Dæmones bonum: ita neque rectè concluditur, actum rationalis voluntatis solius coactionis expertem, non esse liberum. Inter actum quippe liberum & statum libertatis per magna differentia est: Aliter Deus, aliter Angeli viatores, & primus homo, aliter beati, aliter damnati, aliter homines reparandi, aliter Christus Dominus in via constitutus liber fuit, nec vllo pacto quæ in vno statu libertatis adsunt, aut etiam requisita sunt, ad alterum extendenda sunt. Hominum igitur viatorum non solùm coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntaria, hoc est eam ad vtrumque indifferentem esse, cum Scripturis & Patribus & Catholica fide fatemur perlibenter: Sed in illa indifferentia sitam esse generaliter humani arbitrij libertatem, iidem Patres pernegarent. Iansen. tom. 3. lib. 6. cap. 34.

Numquid ergo sole clarius est, Annatum id quod falsum est, manifestò dixisse, qui tertiam Corneti propositionem in Iprensis Episcopi libro professus ostendere, ea refert quæ alio de argumento scripta sunt, & à tertiâ propositione dissimillimo, turpiter interim dissimulatâ eius Episcopi voluntate, qui vbi agit de

singulari & finito argumento quod habet damnata propositio, contraria quæ sunt damnatæ propositioni scribit planissimis verbis. Itaque si vera de tertiâ propositione & de Iprensis Episcopi propositione erit instituenda comparatio, sic erit instituenda.

CORNETI DAMNATA PROPOSITIO.

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

PROPOSITIO IPRENSIS EPISCOPI.

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ requiritur in homine libertas à necessitate, nec sufficit libertas à coactione.

QVARTA PROPOSITIO.

Nihil opus est quartæ propositionis primæ parti immorari, quæ factum complectitur & historicum argumentum, de quo Pontifex singularem censuram pronuntiauit nullam, quæ à censurâ secundæ partis distincta esset. Quod enim in eam rem scribit Annatus, vocem *falsa*, ad primam partem, vocem verò *hæretica* ad alteram referri; Annati somnium est, vel potius figmentum, non Pontificis sententia. Sufficit, vt inquit idem Annatus, secundam tantùm partem hæreseos esse damnatam. Videamus si hanc hæresim apud Iprensis Episcopi librum inuenit.

IV. PROPOSITIONIS damnatæ.

SECVNDA PARS.

Sed in hoc erant hæretici (Semipelagiani) quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

Pro secundâ parte. *Iansen. tomo 3. lib. 2. cap. 4.*

Clariùs fortassè dici potest, quod gratia sanæ voluntatis in eius libero arbitrio relinqueretur, vt eam si vellet desereret, aut si vellet vteretur: Gratia verò lapsæ ægrotæque voluntatis nullomodo in eius relinquatur arbitrio, vt eam deserat aut arripiat si voluerit, sed ipsa sit potius illa postrema gratia, quæ inuictissime facit vt velit, & à voluntate non deseratur. Quod discrimen tradit Augustinus in lucubrationibus quas aduersus hostes gratiæ exarauit, vt impossibile sit legenti non aduertere.

RESPONSVM.

Hic locus cum plerisque aliis falsò citatus, aliunde petitur quàm è libro tertio, è secundo nempe, qui nihil aliud complectitur quàm nobilem differentiam, gratiam inter primi hominis & gratiam Christi, quam Augustinus explicuit tribus totis capitibus libri *De correptione & gratiâ*; Deum nempe, iuxta Iprensis Episcopi verba, Adami gratiam in liberi eius arbitrij potestate reliquisse, quia adiutorium quod dederat, tale erat, vt posset vti si vellet, non vti pariter si vellet, non tale tamen, vt esset quo fieret vt vellet: *Nec Adamum*, inquit Augustinus, *Deus esse noluit sine suâ gratiâ, quam reliquit in eius libero arbitrio. Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si* De Corrept. & grat. c. 11.

vellet, non quo fieret vt vellet. Quæ ipſa verba ſunt Iprenſis Epiſcopi: *Gratia*, inquit, *ſanæ voluntatis in eius arbitrio relinquebatur, vt eam ſi vellet deſereret, aut ſi vellet vteretur.* Chriſti verò gratiam, vt loquitur Auguſtinus, eſſe potentiorem, quoniam ipſa facit vt homo velit: *Secunda gratia plus poteſt, quâ fit etiam vt homo velit;* quia, vt inquit idem Auguſtinus: *Hæc gratia tanto maior eſt, vt parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem; parum ſit denique non poſſe ſine illa, vel apprehendere bonum vel permanere in bono ſi velit, niſi etiam efficiatur vt velit.* Quod idem apertè eſſe cognoſcitur, cum his verbis Iprenſis Epiſcopi circa eiuſdem loci finem: *Gratia verò laſſæ ægrotæque voluntatis, nullomodò in eius relinquitur arbitrio, vt eam deſerat aut arripiat ſi voluerit: ſed ipſa eſt poſtrema gratia, quæ inuictiſſimè facit vt velit, & à voluntate non deſeratur.*

Tomo 3. lib. 2. c. 4.

Auguſt. Ibid.

Ad hunc modum Annatus in ſuperiori manet conſilio, eandemque Eccleſiæ funeſtam mentem retinet, ſupponendi præcipua Auguſtini dogmata in locum propoſitionum Corneti per Pontificem damnatarum; pergitque hortari, vt in hæreſeon deteſtemur loco, quod Patres omnes Auguſtino ætate inferiores pro ſancto & vero dogmatis gratiæ fundamento habuerunt, quia viſum Molinæ id conuellere, qui pro verâ Chriſti medicinali gratiâ, eam nobis proponere maluit, quæ primo homini congruebat valenti & ſano, cuius efficacia non ex ipsâ pendet, ſed ex hominis libertate, qui vtitur prout viſum eſt vel non vtitur.

Hæc Molinæ doctrina in Congregatione de Auxiliis ſub his terminis proponitur, ac poſteà cenſurâ notatur. *Doctrina Patris Molinæ quatenus docet efficaciam auxilij diuini pendere ab effectu & libertate arbitrii humani, non autem ab ipſo auxilio prout à Deo venit, & ex modo motionis diuinæ, videtur tradita à Semipelagianis.*

Sed audacis & temerarij conſilij Annati impetus vel vno ſiſtatur inuicto argumento, quod ex eius etiam libro petetur. Certum eſt nihil aliud Iprenſem Epiſcopum reſpuere, in locis Auguſtinianis ibidem citatis,

citatis, nisi gratiam libero arbitrio subiacentem, quam Molina docuit, quam tota sancti Thomæ schola oppugnauit, quam Congregatio de auxiliis censurâ notauit, vt iam demonstratum est. Atqui Annatus fatetur, id in quo dissident Thomistæ & Iesuitæ, Pontificem non attigisse, sed potiùs eorum arbitrij fecisse: ipse Pontifex declarat eo loco res se relinquere, quo Clemente VIII. & Paulo V. Pontificibus fuerant. Itaque non sine summâ Pontificiæ Constitutionis iniuriâ & summo dedecore, secum ipse pugnans contendit, communem Iprensi Episcopo cum Thomistis propositionem, quæ nihil aliud quam Molinianam gratiam libero arbitrio subiectam Augustinianis telis propulsat, hæreseos esse damnatam Constitutione summi Pontificis, quam negat tamen condemnare Thomistas Molinianæ gratiæ hostes acerrimos.

Id in quo conuenimus (Dominicani & Iesuitæ) sanc iuit Pontifex; id in quo dissidemus, disputationi nostræ reliquit. *Annat. pag.* 29. & 30. vtri melius sentiant, nondum definitum est. *ibid.*

Denique vt nihil relinquatur, quod Annatum ad pudendum inducat, si eiusmodi in hominem cadit pudor, sufficit iterum docere, quod iam in primâ parte huius scripti docuimus, non tantùm Iprensem Episcopum Semipelagianos non damnâsse hæreseos, quòd gratiam talem agnoscerent cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare; quin potiùs Caluinianum esse dixerit, talem gratiam negare cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. *Ecclesia Catholica*, inquit, *in Caluino improbauit, quòd Caluinus doceat gratiam ita mouere hominem, vt non sit ei liberum resistere. Augustino verò Dominus ita mouet voluntatem, vt quàmuis infaillibiliter conuertatur & operetur, possit tamen motioni Dei refragari aut obtemperare, seu, vt Concilium oquitur, illi dissentire si velit.* Vnde sequitur, si vera quartæ propositionis damnatæ & Iansenianæ propositionis instituatur comparatio, esse sic instituendam.

tomo 3. lib. 8. c. 21.

CORNETI DAMNATA PROPOSITIO.

Semipelagiani in hoc erant hæretici, quod vellent gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

PROPOSITIO IPRENSIS EPISCOPI.

Caluiniani in hoc sunt hæretici, quòd velint gratiam talem esse, cui non possit humana voluntas resistere vel obtemperare.

QVINTA PROPOSITIO.

P. ANNATVS.

V. PROPOSITIO damnata.	Propositio Ianseniana. *Tomo 3. lib. 3. cap. 21.*
Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.	*Nec enim iuxta doctrinam antiquorum, pro omnibus Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omninò tam generaliter sanguinem fudit: cum hoc potiùs tamquam errorem à fide Catholica abhorrentem, doceant esse respuendum.*

RESPONSVM.

Qui vel Iprensis Episcopi locum legerit, vnde eruta ab Annato propositio, malam Iesuitæ fidem agnoscet. Iprensis enim Episcopus postquam citauit quartum Canonem tertij Concilij Valentini, qui sic habet: *Nimium errorem de hac causâ, exortum esse, ita vt quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis qui à*

mundi exordio vsque ad passionem Domini in suâ impietate mortui, & æternâ damnatione puniti sunt, effusum Christi sanguinem definiant; hæc statim subiungit quæ ab Annato proferuntur, nempe ex Christi redemptione probari non posse gratiam sufficientem quæ omnibus omnino hominibus excepto nemine tribuatur. *Nec enim*, inquit, IVXTA DOCTRINAM ANTIQVORVM, *pro omnibus omnino Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit, cùm hoc potiùs tanquam errorem à fide Catholicâ abhorrentem, doceant esse respuendum.* Manifestum est per ANTIQVOS illos, significari Patres Concilij Valentini quos paulò ante citauerat, atque ita vocem illam *errorem*, ipsius vocem non esse sed Concilij Valentini, cuius hæc verba sunt: *Propter nimium errorem qui de hac causâ exortus est, ita vt quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis qui à mundi exordio vsque ad passionem Domini in sua impietate mortui & æterna damnatione puniti sunt, effusum Christi sanguinem definiant.* *Conc. Val. Can. 4.*

Quis igitur intelligat quanta sit Annati audacia, qui insignem Episcopum hæreseos accusare non vereatur, eo tantùm nomine quòd fideliter exscripserit verba Concilij cùm primis Catholici, quod veteres Annales Franciæ in hoc à Nicolao I. Papâ confirmatum esse testantur? *Nicolaus Papa Pontifex Romanus, de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate gemina prædestinationis, & de sanguine Christi vt pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat & catholicè decernit.* Annales Bertiniani ad annum 859. & Prudentii Trecensis apud Hincmarum. *Epist. 24.*

Sed iam demonstratum est, sensum esse quempiam iuxta quem nefas sit dicere, Christum pro omnibus generatim hominibus excepto nemine mortuum esse, si nempe significetur Christum ita pro omnibus hominibus esse mortuum, vt omnes excepto nemine mortis eius beneficium accipiant, & meritum passionis eius cum omnibus communicetur, quod Conci-

Cōc. Trid. Seſſ. 6. can. 3. lium Tridentinum ſtatuit eſſe falſum: alium vero eſſe ſenſum maxime catholicum iuxta quem dici poſſit, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus excepto nemine eſſe mortuum, quem ſenſum interpretatur Proſper his verbis: *Quod ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet cauſam generis humani, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi: ſed qui hoc ſaeculum ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis ſacramento pertranſeunt, redemptionis alieni ſunt.*

In reſpōſione ad obiectionē primā Vincentianā.

Iprenſis Epiſcopus fatetur, ita Proſperum redemptionem Chriſti pro omnibus hominibus excepto nemine eſſe interpretatum. Idque iam citato Proſperi loco, & altero conſimili probat. *Cùm itaque*, ait Proſper, *rectiſſimè dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem; poteſt tamen dici pro his tantùm crucifixus quibus mors ipſius profuit.* Tum autem hominem fugiat ratio, qui dicere audeat, Iprenſi Epiſcopo Proſperum, qui Semipelagianorum infenſiſſimus eſt hoſtis, pro Semipelagiano fuiſſe. Atque adeò ſi vera inter quintam propoſitionem Cornetianam & Ianſenianam inſtituatur comparatio, hoc modo erit inſtituenda.

Proſper in reſponſione ad capitul. 9. Gallorum

Corneti Propositio damnata.

Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe.

Propositio Iprensis Episcopi.

Semipelagianum non eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe, cum ſecundum Proſperum, qui Semipelagianus non fuit, rectiſſimè dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus.

Priuatam quintæ Corneti propositionis significationem, quam hæreseos & blasphemiæ damnauit Pontifex, ad Iprensem Episcopum nihil attinere.

AD Pontificis singularem propositionis quintæ censuram, responsum est in prima parte huius commentarioli, eiusmodi propositionem esse hæreticam & blasphemam, intellectam eo sensu vt Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit. Demonstratum est nihil hoc ad Iprensem Episcopum pertinere, qui docet Christum non tantùm pro salute prædestinatorum esse mortuum, sed etiam vt daret reprobis quicquid ab eo accipiunt gratiæ in vitâ. Demonstratum est prætereà nihil in hoc Iprensem Episcopum docuisse, nisi quod, vel ipso fatente Petauio, Augustini sententiæ consonaret, quæ & Pauli de hominum prædestinatione & reprobatione sententia est. Fatetur enim planis verbis Petauius: *Secundum Augustini sententiam quæ prædestinationem, sine vllo ad merita respectu; tanquam ad causam fieri censet consequens videtur, Deum reproborum saluandorum voluntatem nullam habuisse, neque pro eorum salute vel esse passum vel orasse: quantùm autem ad illos ex reprobis, qui in suscepta vera fide ac pietate minime perseuerauerunt, illis Christi merita profuisse, non vt salui essent, sed vt gratia illis ea tribueretur.* Idem omnino docet Iprensis Episcopus in locis per Annatum citatis. Itaque satis videmus Iesuitam istum in nefario consilio perseuerare, nec finem vllum facere postulandi, vt pro detestandis hæresibus, Iprensis Episcopi nominis obtentu, sanctissimæ quæque & catholicæ Doctoris gratiæ sententiæ numerentur.

Dogm. Theol. to. 1. l. b. 10. c. 15. pag. 685.

Eo nempè consilio indoctis hominibus persuadere conatus est, propositionis huius à summo Pontifice

hæreseos & blasphemiæ damnatæ, *Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus est*, hunc sensum esse retinendum, qui censuram deriuaret in Augustinum & in sacram Scripturam, reiectâ significatione quæ censuram detorquet in Caluinianos. Hæc enim latina verba duas habere possunt significationes; quarum altera quidem est, Christum duntaxat pro salute prædestinatorum esse mortuum, id est, prædestinatorum salutem vnicum Christi mortis esse effectum, qui quidem Caluinianorum error est, qui docent gratias transitorias quas Deus dat reprobis qui salutem non consequuntur, non mortis Christi esse effecta, sed prouidentiæ Diuinæ: *Gratiæ illæ transitoriæ, quas vocant, prouidentiæ diuinæ, non mortis Christi sunt effecta*, inquiunt Ministri Tigurini in recenti scripto.

Theses defensæ Tiguri an. 1653. thesi 40.

Alter verò sensus horum latinorum verborum, quem Moliniani propositionis damnatæ de hæresi & blasphemiâ, verbis affingunt, *Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus est*, is est, Christum non esse mortuum vt impetraret salutem aliis quàm prædestinatis. Quare ita concludunt, id iam hæresim esse factum & blasphemiam, quòd Petauius ipse fatetur esse Augustini sententiam his verbis: *Secundum Augustini sententiam Christus pro reproborum salute, neque passus est, neque orauit. Quî enim poterat, cùm absoluto decreto damnare illos statuisset?* id, inquam, nũc hæresim esse factum, quod mille & ducẽtorum annorum spatio, Patres omnes qui gratiam à Pelagianorum & Semipelagianorum conatibus deffenderunt, verum, firmum & ratum apud Scripturas esse definierunt, vbi Christus ipse declarat, *animam suam se ponere pro ouibus suis*, id est pro electis, *se vitam æternam dare eis, & non perituras in æternum, non rapturum eas quemquam de manu sua, se non pro mundo*, id est pro reprobis, *rogare, sed pro iis quos dederat sibi Pater, quia eius erant*, id est pro electis.

Petauius tomo 1. l. 10. c. 16.

Ego sum Pastor bonus, & animam meã pono pro ouibus meis. Ioã 10. v. 11.

Enimverò hoc est Iesuitarum erga Apostolicæ sedis dignitatem studium, vt in Pontificiæ Constitutionis parte, eius malint significationem trahere quò illis expediat, id est in Augustini aliorumque Patrum omnium, atque ipsius Christi oraculo confirmatæ sententiæ damnationem, quàm aliò quò ipsius Constitutionis verborum significatio spontè ducit; quoniam si hoc modo accipitur, solus error Caluinianorum hæreseos & blasphemiæ damnabitur, quem ante constitutionem editam Augustini semper discipulis affinxerant. Quod vsque adeò verum est, vt in famoso libello qui inscribitur, *Triumphus Catholicæ veritatis*, prolato Iprensis Episcopi loco, in quo nihil aliud quàm, vt Petauius fecit, Augustini sententiam explicuerat, statim exclament: *En puram putamque Caluini & Caluinianorum abominationem stantem in loco sancto.*

Et ego vitam æternam d[illegible]
eis, & [illegible]n
peribunt
in æternũ, & nõ
rapiet eas
quisquam
de manu
meâ. *ibid.*
v. 27.
Non pro
mundo
rogo: sed
pro iis
quos dedisti
mihi, quia
tui sunt,
bid. c. 17.
v. 9.

Sed more suo & modo faciunt. Sic enim facere instituerunt in toto quinque Propositionum negotio, quas cùm damnandas obtulerunt, sancti Augustini discipulos eas tutari, & per eas Caluinianas hæreses renouare mentiti sunt. Quod ex libris eorum patet omnibus ante Constitutionem editis. Nunc verò postquàm propositiones sunt damnatæ, mutauerunt institutum. Non iam damnationem in Caluinianorum errores cadere patiuntur, ad quos tamen propositiones ambiguis verbis conscriptas conformare studuerant: sed in nobilissimas & certissimas quasque Augustini sententias, vt in toto huius ad Annatum responsi contextu demonstratum est. Vtrum hoc sincerorum & æquorum hominnm proprium sit, bonorum esto iudicium.

Atque hæc sunt, quæ ad hanc partem libri ab Annato editi necessario dicenda fuerunt, qui etsi magnas strages edat in Ecclesiæ doctrinâ, etsi multa populetur & vastet, etsi sanctissimas & vetustissimas quasque Ecclesiæ traditiones in blasphemiarum & hæreseon

loco haberi postulet, crassissimis quibusque Molinianis erroribus articulorum fidei vim astruere conetur, hoc tamen commodi affert omnibus quibus puritatis Ecclesiasticæ doctrinæ conseruandæ cura esse debet, vt depositâ personâ & apertâ facie sanctum Augustinum aggressus, non iam illis timendum sit, ne quem decipiat, qui Ecclesiæ dignitatis paulò erit amantior, aut intelligens Augustinum Ecclesiæ eripi non posse, quin eius stabilitatis constantiæque firmamentum maximum eripiatur.

FINIS.

